



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Theologia Moralis Universa

Jansen, Leonard

Coloniæ Agrippinæ, 1725

Ex Tractatu De Sacramentis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39911**

EX  
TRACTATU  
DE  
SACRAMENTIS.

## CASUS LXXXVIII.

De Essentia, Materia, Forma, Ministro & Effectu Sacramentorum in genere.

**A**ctius pro cura pastoralis se  
sistens interrogatur: 1. Quid  
sit Sacramentum. 2. Quid  
de Sacrificiis Veteris Testa-  
menti; de lotionem pedum, missione Spiritus  
Sancti. 3. Quot sint Sacramenta & quo-  
ruplicita. 4. Quae sit materia & forma.  
5. An sint de essentia; an ab eodem Mi-  
nistro applicanda. 6. An necessariò co-  
existant, & quomodo. 7. An liceat ad-  
hibere materiam vel formam dubiam aut  
probabilem. 8. - 9. Quid sit mutatio  
substantialis materiae, vel formae; quid  
de mutatione in voces non synonymas.  
10. Quid de transpositione, subtractione,  
additione vocum. 11. Quid de mutatio-  
ne lingua in linguam, item de interruptio-  
ne. 12. Quale peccatum sit voluntaria  
mutatio. 13. An ea mutare possit Eccle-  
sia. 14. Quis sit Minister. 15. Quae  
in ipso requiratur intentio, & quid in du-  
bio, an haec adfuerit. 16. Quid si habeat  
intentiones oppositas. 17. Quid de in-  
tentione conditionata. 18. Quid si sit  
distractus. 19. Quid si sit in statu dis-  
gratia. 20. Vel in tali statu distribuatur  
Eucharistiam; vel exerceat actus Ordinis.  
21. Quae sit obligatio Ministri tempore  
peccati. 22. Quibus uti debeat preserva-  
tivis vel cautelis; quid si sapius vocetur  
ad eundem. 23. An liceat ei fugere, vagos,  
infectos negligere, vel unum alteri præ-  
ferre. 24. Quid sub incursu hostium.  
25. An liceat Sacramentum petere ab ex-  
communicato, suspensò, &c. 26. A pec-  
catore. 27. Quae dispositio requiratur in  
suscipiente. 28. Quae intentio, & an  
Baptismus necessarius ad valorem reli-  
quorum. 29. An Sacramentum dari pos-  
sit inhabili, vel metu mortis simulari.  
30. Quid de matrimonio. 31. An liceat  
ministrare Sacramenta peccatori. 32. Quae  
peccata committat consecrans in materiali.  
33. An peccet contrahens matrimonium  
cum peccatore. 34. An dari possit pec-  
catori publico saltem metu mortis. 35. Quid  
si crimen non sit notum omnibus presen-  
tibus, vel solum sit notum in vicinia.  
36. Quid si sit emendatus, sed non publi-  
ce, vel de emendatione sit dubium. 37. Quid  
R. D. Jansen Pars II. A de



2  
de articulo mortis. 38. Quid si peccator occultè petat; quid si sciatur ex confessione. 39. Quid si publicè petat. 40. Quis sit effectus Sacramentorum & Sacramentalium? Pro Responf.

1. QUÆRES I. Quid sit Sacramentum?

R. Est signum sacrum, sensibile, practicum sanctitatis à Deo stabiliter institutum. Dicitur primò Signum; hoc est, ducens in cognitionem alicujus à se distincti, scilicet gratiæ, quam causat. Dicitur 2. Signum sacrum, id est, ad cultum Dei institutum. Dicitur 3. Sensibile, seu sensibus externis perceptibile; si enim Sacramentum non esset signum sensibile, non esset aptum significare homini, qui nihil percipit, nisi dependenter à sensibus, nec posset sensibilibiter discernere Ecclesiam veram à profana. Dicitur 4. Practicum sanctitatis, seu causativum gratiæ ex opere operato, id est, per sui usum & applicationem, non autem præcisè ex opere operantis, seu ex applicantis aut suscipientis merito. Dicitur 5. à Deo stabiliter institutum.

2. Quia sicut solus Deus vel Christus potest dare veram gratiam, sic & solus Dei est instituire signa stabilia & practica gratiæ; unde patet, Sacrificia Veteris Testamenti, esum Agni Paschalis, asperisionem sanguinis, &c. non fuisse vera Sacramenta, quia non causabant gratiam; & Circumcisio quamvis sustulerit peccatum originale per veram gratiam, quia tamen istam gratiam non causabat ex opere operato, sed in quantum erat professio fidei in Christum, ideo propriè

non fuit Sacramentum; idem tenet de Sacramentalibus in nova Lege, de benedictione panis, vini, cereorum, de consecratione Abbatum, Virginum, lotionem pedum, &c. quia non causant gratiam nisi ex merito & opere operantis. Item de verbis Christi ad Magdalenam: *Remittuntur tibi peccata tua.* Item de linguis igneis in Pentecoste: quia licet hæc causarint gratiam, tamen id non fecerunt ex instituto & stabiliter.

3. QUÆRES II. Quid de numero & divisione Sacramentorum?

R. I. Sacramenta sunt septem: *Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium.* Est de fide ex *Trid. sess. 2. c. 1. Ne dicas* cum hæreticis, id nulli haberi in Scriptura; nam R. Nulli etiam habetur, quod tantum sint tria vel quatuor, & tamen hoc credunt Adversarii; sufficiat igitur, quod ille numerus habeatur in Scripturis æquivalenter ex hoc, quod de singulis septem & non de pluribus dicant esse Sacramenta, & de iis constet per traditionem & definitionem Ecclesiæ.

II. Sacramenta dividuntur Primò in *Iterabilia*, quæ sæpius suscipi possunt, & sunt quatuor: *Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Matrimonium;* & *Iterabilia*, seu Characteristica, quæ semel validè suscepta iteratò suscipi nequeunt, eò quod imprimant characterem, id est, qualitatem indelebilem in anima suscipientis, per quam homo designatur servus, miles, vel minister Christi; sunt



sunt autem tria: *Baptismus*, *Confirmatio*, *Ordo*. Qui unum horum (nisi sit prudens dubium de valore) scienter iterat, peccat gravissimè, & nullum effectum consequitur. *Secundò*, in Sacramenta vivorum & mortuorum. *Vivorum* dicuntur, quæ in suscipiente supponunt primam gratiam, seu vitam spirituales animæ, & sunt quinque: *Confirmatio*, *Eucharistia*, *Extrema Unctio*, *Ordo*, *Matrimonium*; alia duo sunt mortuorum, velut *Pœnitentia* & *Baptismus*, quia non prærequirunt, sed ex sua institutione causant primam gratiam; per accidens tamen fieri potest, ut Sacramenta mortuorum causent secundam, & vivorum primam gratiam, ut si adultus perfectè contritus suscipiat Baptisma, vel peccator Confirmationem cum sola attritione, quam bonâ fide judicat esse contritionem, vel eam credit sufficere. *S. Thom. 3. part. q. 79. art. 3.* *Tertio* in *Formata*, quæ in suscipiente actu causant suum effectum seu gratiam, quæ dicitur forma seu pulchritudo animæ; & *Informia*, quæ hunc effectum non causant, eò quòd ex parte subjecti sit obex seu impedimentum, ut si adultus suscipiat Baptisma vel Matrimonium sine dolore de peccatis actualibus: An autem & qualiter Sacramenta remoto obice ad causandam gratiam reviviscant, quia parum ad praxin facit, Scholasticis relinquo. *Quartò*, in Sacramenta *Transcendentia*, & *Permanentia*; hæc consistunt in actione transeunte, v. g. ablutione, unctione: illa in re permanente, ut Eucharistia, &c.

QUÆRES III. Quid de materia & forma Sacramentorum, eorumque necessitate & similitudine?

re. Seq. 1. *Omnia Sacramenta perficiuntur rebus tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ, & personâ Ministri conscientis cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* Sunt verba *Concil. Florent.* In Matrimonio, quia habet rationem contractûs, sufficiunt verba æquivalentia, id est nuptus vel alia signa consensum significantia; in aliis Sacramentis requiruntur verba formalia. 2. *Materia alia est remota, alia proxima. Remota est illa res, quæ per actionem Sacramentalem applicatur; Proxima est illa ipsa actio applicativa.* V. g. in Baptismo materia remota est aqua, proxima est ablutio; in Confirmatione remota est Chrisma, proxima unctio; in Eucharistia remota est panis & vinum, proxima Corpus & Sanguis Christi cum speciebus; in Pœnitentia materia remota sunt peccata post Baptisma commissa, proxima sunt contritio, dolor, propositum, confessio; in Extrema Unctione remota est oleum, proxima ipsa unctio; in Ordine, remota materia sunt instrumenta, proxima traditio; in quibusdam remota sunt manus Episcopi, proxima earum impositio; in Matrimonio materia remota sunt corpora contrahentium, proxima eorum mutua traditio. 3. *Materia & forma ita sunt de necessitate Sacramentorum, ut horum uno deficiente vel substantialiter mutato deficiat Sacramentum.* *Florent. l.c. S. Tho. q. 60. art. 5.*

A 2. 4. Ma-



4. Materia & forma debent applicari ab eodem Ministro, ideòque si unus affundat aquam aut inungat, alter pronuntiet formam, Sacramentum est nullum, quia sensus formæ est falsus; nam hoc dicens verè non abluit vel inungit. *Diana, Dicastil. de Bapt. d. 1. n. 181.*

6. 5. Materia & forma debent esse simul, ita ut spectatà cuiusque Sacramenti naturâ verba censeantur afficere materiam, de eaque verificari; in consecratione Eucharistiæ materia & forma debent coexistere physicè, ita ut eo tempore quo forma proferatur, materia consecranda sit præsens; hanc enim ut præsentem significant & demonstrant pronomina *Hoc & Hic.* *Meizg. tr. 15. d. 17. a. 2. Reiffenst. Theol. tr. 14. dist. 1. n. 29.* In aliis Sacramentis probabilius sufficit coexistentia moralis, seu talis conjunctio, ut verba communi iudicio adhuc censeantur verificari de materia, etsi non coexistent physicè, sed statim subsequantur vel antecedant; sicut ad veritatem hujus propositionis: *Bibo, sileo,* sufficit, quòd immediatè post vel ante prolata verba bibam, sileam; quia tamen *Cajet. Sum. Scot. in 4. dist. 6. q. 3.* etiam probabiliter requirunt coexistentiam physicam materiæ & formæ, erit mortale, si forma quoad unam sui partem physicè non coexistat materiæ, ut si verba Baptismi proferantur post finitam ablutionem, quia Sacramentum exponitur periculo nullitatis. Excipe Sacramentum Pœnitentiæ, in quo absolutio sequi potest confessionem, ita ut post

horam validè absolvatur confessus, etsi non licitè, nisi ex causa rationabili, ut dum apoplexiâ tactus ante unam vel plures horas petiit Confessarium. Ratio est, quòd absolutio sit sententia judicialis, quam antecedere debet accusatio seu confessio. Similiter in Matrimonio unius consensus tamdiu sequi potest, quamdiu durat alterius consensus, ut patet in Matrimonio contracto per procuratorem, quia Matrimonium sequitur naturam contractûs, *Tamb. lib. 1. cap. 1. §. 1. Spor. p. 1. Sac. n. 81.* Econtrà, si quis cœperit inungere infirmum, & quia inter ungendum putat esse mortuum, desistat, post horam autem videat eum vivere, reliquas unctiones addat, Sacramentum est nullum, quia hic requiritur major connexio. *La Croix L. 6. p. 1. n. 8.*

6. Adhibere formam vel materiam 7. dubiam vel probabilem, si certa aut tutior haberi possit, est mortale, quia Sacramentum sine causa exponitur periculo nullitatis, & suscipiens periculo carendi fructu. *Vid. cas. 3. n. 7.* Si Sacramentum sit necessarium vel Baptismus, Pœnitentia, & materia certa haberi non possit, sufficit probabilis & dubia, eamque adhibere in necessitate exigit charitas proximi. An verò liceat sequi opinionem probabilem, quando agitur de conditione ab Ecclesia supplebili, v. g. de jurisdictione absolvendi, dicam *cas. 99. n. 6. & cas. 106. n. 22.*

QUÆRES IV: Quid circa mutationem materiæ & formæ?

q. 1. Si materia vel forma mutetur sub-



Substantialiter, non fit Sacramentum, secus si tantum mutetur accidentaliter; Tunc autem materia dicitur mutari substantialiter, si secundum communem hominum acceptionem & usum nomine & ratione differat à materia à Christo instituta, quamvis fortè physicè sit eadem. Ut si in baptismo loco aquæ adhibeas glaciem, nivem; in Eucharistia loco panis pisti panem erudum: quia glacies vel nix antequam resolvantur, communi usu & æstimatione non veniunt nomine aquæ, neque massa eruda nomine & usu panis, etiamsi specie physicâ probabiliter non differant. Econtra vinum album & rubrum, quamvis forsan physicè differant, quia tamen communi usu & nomine conveniunt, utrumque est materia apta consecrationis. Materia dicitur accidentaliter mutari, si salvâ substantiâ aequaliter solum alteretur, ut si aqua in Baptismo vel vinum in consecratione tepescat.

§. 11. Substantialiter forma mutatur, si forma non retineat sensum & significationem, quam Christus per verba exprimi voluit; eodem verò sensu manente, mutatio erit solum accidentaliter. Est communis cum *D. Tho. art. 8.* Ex hac regula deduces sequentia: 1. Mutatio formæ in voces non omnino synonymas, est substantialis. *Suar. d. 2. §. 4. Dicast. d. 1. n. 179.* ut si loco Patris & Filii baptizans dicat: *In nomine Sanctissime Trinitatis: In nomine prime, secunde & tertie persone: In nomine Patris majoris, Filii minoris: In nominibus Patris & Filii: In nomine Creatoris, Redemptoris, Sanctificatoris:*

*In nomine Patris, Filij, & B. V. Mariæ:* significando æqualem auctoritatem. Ratio est, quia hæ formæ non habent eandem sensum, nec æquè clarè & distinctè exprimunt rationem Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, qualiter exprimitur per formam ordinariam. Vid. *Cas. seq. q. 1.* Similiter in Eucharistia est mutatio substantialis vel saltem dubia, si dicatur: *Hoc est Corpus Christi;* quia sic consecrans non loquitur in persona Christi. Item si dicatur: *Ecce Corpus meum;* quia tò ecce non ita videtur significare conversionem panis sicut tò hoc. 2. Mutatio in voces equivocas non invalidat Sacramentum, si verba equivoca ex circumstantijs vel intentione ministri determinentur ad sensum similem, ut tò hoc in Eucharistia, cum possit demonstrare multas hostias, per intentionem Ministri determinat hanc, & non illam. *Dicast. sup. Bernal d. 6. n. 35.* 3. Mutatio per transpositionem, subtractionem vel additionem verborum tunc est substantialis, quando non relinquit sensum à Christo institutum. 4. Repetitio vel corruptio vocum non semper est substantialis, maximè si fiat ex naturali balbutie vel ruditate, ut: *Ego bapt-bapt-ti-ti-zi-to te te te, &c.* Vel: *Bapzo in nomine Patria, Filia & Spiritua Sancta.* *Cap. reculerunt dist. 4. de consecrat.* Aut si quis non valens exprimere H & R dicat: *oc est Copus,* vel etiam *Colpus meum;* quia istæ voces à balbutiente corruptæ saltem ex secundaria institutione idem significant quod in aliis non corruptæ, *March. La Croix n. 36.* Nisi corruptio



fit tanta, ut audientes non possint sci-  
re, quid loquens vellet significare,  
vel corruptio vocum fieret studio;  
tunc enim non censeretur habere se-  
riam intentionem, vel putatur aliud

11. velle significare. 5. *Mutatio lingua  
in linguam* per se est tantum accidental-  
talis, etsi proferens eam non intel-  
ligat, nunquam tamen est licita nisi  
in solo Baptismo, quando Latina  
lingua ignoratur. 6. *Interruptio* si sit  
levis, non est substantialis, ut si  
baptizans prolatis verbis: Ego te  
baptizo, interponat: *Quid garruis?  
Aqua est nimis frigida*, aut aliquoties  
sternutet, oscitet, & statim subjungat:  
In nomine Patris, & Filii, &c. quia  
verba sequentia adhuc moraliter  
unum sensum faciunt cum præce-  
dentibus. Secus si interruptio sit no-  
tabilis ad medium vel integrum qua-  
drantem ob rationem contrariam,  
ideoque tunc forma debet repeti.  
*S. Thom. q. 65. art. 8. Tamb. l.c.*

12. 32. III. Mutare materiam vel for-  
mam substantialiter est mortale, quia  
Sacramentum in illis circumstantiis,  
quibus causare deberet effectum, vo-  
luntariè redditur nullum, quæ est  
gravis irreverentia in Authorem Sa-  
cramentorum: Mutatio accidentalis  
si levis sit, ad summum est veniale;  
ut si in Baptismo citra necessitatem  
utaris aquâ calidâ vel linguâ vulgari,  
*Dicast. n. 131.* Vel in forma Baptismi  
aut Pœnitentiæ omittas *rd ego*, in  
forma Eucharistiæ *rd enim*, modò ab-  
sit contemptus. Mutatio accidentalis  
notabilis est mortale, ut si Latinus  
consecret in pane fermentato, aut

utatur formâ Græcâ vel linguâ vul-  
gari, vel inungat in oleo prioris anni,  
vel in Baptismo omittat *rd S. Dicast.  
n. 117.* Vel in Baptismo omittantur  
præcipuæ ceremoniæ. Item quando-  
cunq; materia vel forma redditur  
dubia, &c. quia in his omnibus vel  
notabiliter agitur contra præceptam  
ab Ecclesia uniformitatem, vel Sa-  
cramentum per materiam dubiam  
exponitur periculo nullitatis.

32. IV. Nequidem Ecclesia potest 13.  
materias vel formas Sacramentorum  
formaliter mutare, potest tamen ma-  
terialiter. Colligitur ex *Trid. sess. 21.  
c. 2.* Ratio est, quia formaliter mu-  
tare est facere, ut materia & forma  
à Christo instituta non sit apta ad va-  
lorem Sacramentorum, ut si vinum  
de vite manens vinum fieret ineptum  
consecrari, qualem potestatem nul-  
libi Ecclesia legitur accepisse à Chri-  
sto. Materialiter mutare est facere, ut  
id, quod antea erat materia à Christo  
requisita, induat aliam naturam, &  
non maneat talis, qualem Christus  
requisivit, ut si è vino fiat acetum,  
quod etiam privatus facere potest.  
Aut si contractus clandestinus antea  
validus ex constitutione Ecclesiæ fiat  
invalidus, & per consequens materia  
inepta matrimonii. Item si Ecclesia  
faciat, ut sola manuum impositio in  
Ecclesia Græca habeat vim signifi-  
candi potestatem Ordinis Sacerdota-  
lis & Diaconatûs, non autem apud  
Latinos.

14.  
QUÆRES V. Quid circa *Mini-  
strum, ejusque intentionem, attentionem  
& dispositionem?*

31. I.



15. **12.** I. Minister ordinarius est solus homo viator, habens intentionem faciendi id, quod facit vera Christi Ecclesia. *Trid. sess. 7. c. 11. S. Thom. 9. 64. a. 7.* Intentio autem hinc potest esse triplex, actualis, virtualis, habitualis. *Actualis* est actus voluntatis advertenter & perceptibiliter impetrans consecrationem Sacramenti. *Virtualis* est virtus ex priori actu relicta, quæ physice est actus tenuis & imperceptibilis, vi cuius quis pergit operari ad finem per intentionem actualem imperatum, hinc intentio virtualis tandiu censetur perseverare, quamdiu ponuntur media ad intentum finem, ut si quis post intentionem consecrandi eat ad sacrificium, se lavet, vestiatur, legat Missam, quamvis toto tempore distractus, &c. hæc omnia diriguntur ab intentione virtuali. *Habitualis* est intentio præterita non retractata, nec in se, nec in virtute amplius existens, potestque esse in dormiente, ebrio, &c.

**13.** **12.** II. Non requiritur intentio actualis, etsi hæc sit optima, sed sufficit virtualis, non verò habitualis. Est communis cum Scot. *in 4. dist. 6. q. 6. Suar. disp. 13. sect. 3. Metzg. d. 23. art. 5.* Ratio primæ partis est, quod sit moraliter impossibile semper habere actualem & expressam intentionem, cum nobis etiam invitis se ingerant distractiones, & obligatio semper habendi intentionem expressam exponeret homines innumeris scrupulis. Ratio secundæ partis est: Quod intentio virtualis sufficiat ad orationem, vota, contractus; ergo etiam

ad conficienda Sacramenta. Tertia pars inde probatur, quod intentio Ministri debeat imperare & influere in actionem Sacramentalem, eamque reddere humanam prudenterque positam nomine Christi, quod facere non potest intentio habitualis, cum nec in se nec in aliqua sui virtute existat, possitque esse in dormiente, phrenetico, &c. Minister tamen prudenter dubitare non potest de intentione requisita, nisi eam studiosè omiserit vel exclusit. *Maur. 9. 78. n. 5.* Quia vult agere quod solet, & quod agunt similes ministri. Nec opus est corde vel ore dicere: *Intendo, volo, &c.* hæ enim scrupulosæ reflexiones magis devotionem impediunt, quam promovent, sed sufficit quod quis exercitè attendat ad id, quod facit.

**16.** **12.** III. Si in Ministro sint intentiones virtualiter oppositæ, v. g. Calvinista baptizans intendit facere quod Christus, non autem quod fieri vult Papa vel Romana Ecclesia. Item vult Matrimonium, sed non Sacramentum, tunc prævalebit ea intentio, quæ est appetitativè major, quod à posteriori colliges, si Calvinista ita sit dispositus, ut si sciret idem esse quod vult Christus & Papa, idem esse Matrimonium & Sacramentum, adhuc vellet baptizare, Matrimonium inire; prævalet intentio conficiendi Sacramentum. Secus si ita non est dispositus. *Lugo d. 8. §. 8. Metzg. l. c.* Ex simili ratione prævalet consecratio, si Sacerdos rudis per *hoc Corpus meum* intelligat suum Sacerdotis, quia prævalet intentio generalis significandi



candi, quod Christus instituit. Quod non tenet de eo, qui id malitiosè & scienter faceret, quia tunc prævaleret intentio non significandi Corpus Christi, sed suum. Si intentiones sint æquales, nullum est Sacramentum, quia neutra prævalet; si una contrariorum existat tantum habitualiter, altera verò actu existens imperet confectionem Sacramenti, hæc prævalet utpotè efficacior, quia sola habitualis Sacramentum causare non potest. *Bernal.d.17. n.182. La Croix n. 69.*

17. *Re. IV.* Intentio non debet esse *conditionata*, adeò ut Sacramenta nec licitè, nec validè conferri possint sub conditione de futuro suspensiva valoris; quia non est in potestate Ministri posita actione Sacramentali suspendere Sacramenti valorem, etsi tunc non intendat conferre Sacramentum validum, deinceps etiã non validabitur, sive conditio eveniat, sive non. Quare invalidè infantem baptizat obstetric sub conditione, si Parochus ante obitum non superveniat. *Spor. à n.128.* Excipe Matrimonium, quod habet naturam contractus, ideòque sicut aliorum contractuum, sic & Matrimonii valor suspendi potest usque ad eventum conditionis. Quòd si conditio sit de præsentem vel præterito, sed Ministro incerta, v. g. *Baptizo te, si Pastor sciat, si non sit domi*, est mortale eam adhibere, quia Sacramentum sine causa exponeretur periculo nullitatis. Aliud est de conditione Sacramento intrinseca; talis enim, si dubium sit de

dispositione, adhiberi potest & debet; ut, baptizo te, si non sis baptizatus; absolvo, si doleas, &c. tunc ab irreverentia excusat necessitas; sufficit autem tunc conditionem exprimere in animo; etiamsi consultum sit etiam exprimere verbo. *Dian.p.10. t.11. ref.55.*

18. *Re. V.* In Ministro etiam requiritur attentio: nam voluntaria distractio est peccatum, sed tantum veniale, nisi sit periculum aliquid notabile omittendi vel mutandi in materia aut forma. *Gob. in exp. t.1. n.97.* Et quamvis plurimi dicant esse mortale sub actuali consecratione Eucharistiæ vel etiam per notabilem partem Canonis voluntariè distrahi, eò quòd hic videatur esse gravis irreverentia; nihilominus alii id valde probabiliter negant, modò non sit periculum aliquid omittendi, quale plerumque non est, quia tunc distractio nec ratione sui, nec ratione periculi erit mortalis irreverentia, neque ratione præsentis Christi, aliàs voluntariè distrahi, etiam sub Communionem, erit mortale, quod est contra-communionem, nec debet astrui mortale sine ratione convincente, ut habet *communissimè, &c.*

19. *Re. VI.* In Ministro Sacramentum conficiente requiritur status gratiæ, aliàs peccat mortaliter; sancta enim sunt sanctè tractanda, idque de Ministro ad hoc specialiter ordinato solemniter agente docent omnes cum *S. Th. q.64. a.6. in Corp.* De Ministro quolibet etiam ad hoc non ordinato docet *Laym. Coning, Castrop. hic*



hic p. 4. n. 10. *La Croix* n. 249. Quia videtur esse gravis irreverentia, si hostis Dei gerat personam Christi, & unâ cum eo coëfficiat Sacramentum causativum gratiæ: nihilominus valde probabiliter docent *S. Tho. a. cit. ad 3. Sayr. Suar. d. 16. s. 4. Illung, Reiffenst. à n. 45. Spor. n. 171. Metzger. a. 6. n. 4.* à peccato mortali saltem excusari laicos aut etiam clericos in necessitate baptizantes, absolventes, &c. non tantum tunc quando ob turbationem, perplexitatem, temporis brevitate se ad contritionem disponere non possunt, uti certum est, sed etiam aliàs, tum quia major est irreverentia, si Minister specialiter ad Sacramenta deputatus citra necessitatem illa in disgratia conficiat, quam si id faciat non deputatus, vel etiam deputatus in necessitate, tunc enim magis attenditur necessitas recipientis, quam dignitas Sacramenti. Hucusque sermo fuit de Ministro conficiente Sacramentum. Nam alios actus, quibus non fit Sacramentum, in disgratia exercere, ut Eucharistiam distribuere, circumferre, cum ea populo benedicere, non videtur mortale. *Sylv. Vasq. Lugo, Nuonius, Bernal d. 17. §. 3. Dian. p. 2. c. 14. Ref. 23. Metzger, La Croix l. c.* Quod magis tenet de assistentia matrimonii, de solemnii ministracione Diaconi vel Subdiaconi, de benedictione Chrismatis, Olei, Altarium, Abbatum, &c. Ratio est, quia in his omnibus non conficitur Sacramentum, neque hæc fiunt in persona Christi, & remotè se habent ad productionem gratiæ.

R. D. *Jansen Pars II.*

QUÆR. VI. Quid de Ministro Sacramentorum tempore pestis vel incursum hostium? 21.

3. Seq. 1. Parochus tempore pestis non tantum tenetur suis administrare Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ, sed etiam Eucharistiam, si possit eodem periculo, quia ad id vi officii obligatur; si tamen sit solus, & statim successorem habere non possit, non tenetur novo periculo dare Communionem vel Unctionem, ne Parocho ægrotante vel deficiente Sacramenta magis necessaria Parochianis desint, est communis & certa. V. *Metzger 10. 2. à pag. 502. Verjays tr. 14. a. 8. Dicast. dis. 11. n. 123.* ubi refert declarationem *S. Congregationis*, qua prohibetur Parochus per se ea ministrare infectis, si alius sit, qui ministret, ne reliqui Parochiani fugiant ejus conversationem, quem sciunt agere cum pestiferis. 2. Etiam alii Sacerdotes, sive sæculares, sive Regulares, tenentur in defectu Pastoris ex charitate ministrare Sacramenta fidelibus, & quidem in extrema necessitate spirituali cum periculo vitæ corporalis; id enim exigit ordo charitatis, ut quilibet vitam temporalem corporis postponat vitæ æternæ animæ proximi; necessitas autem gravis hic dicitur, in qua quis sine tuo adjutorio difficulter salvabitur, ut si peccator sit absolvendus vel disponendus ad contritionem; extrema, quando quis sine tuo adjutorio esset damnandus, eò quòd seipsum juvare non possit: v. g. infans moriturus sine baptismo. 3. Parochus sibi provideat de præ-

B ser-



servativis; optima & facillima præservativa est, infectos non accedere jejuno stomacho; salivam in illorum præsentia non deglutire; inter se & inter infectum ponere ignem, carbones ardentes, vel saltem candelam accensam; cavere vel maximè ab halitu infecti; uti vestibus minimè villosis, easque aquâ vel flammâ sæpiùs lustrare; si sentiatur aliqua alteratio, provocandus est copiosus sudor, &c.

4. Moneat populum, ut omnes adhuc sani in Ecclesia Sacramentum pœnitentiæ & Viaticum percipiant, ne cum periculo semper opus sit adire domos infectas. 5. Seridè inculcet esse gravissimum peccatum, & infectum esse reum non unius homicidij, si temerè se immisceat sanis, eosque omnes periculo mortis exponat.

6. Si indigens Sacramento pœnitentiæ sit capite turbatus, aut ex passione vel obstinacia aliquoties rejiciat Parochum, si ex post Parochum petat, & sit spes fructus, denuò tenetur eum adire, cum manifesto periculo infectionis, quia id exigit ejus officium.

23. 7. Gravissimè peccat, si tempore pestis fugiat, aut resignet; est enim conductus pro tali necessitate, sicut miles pro prælio. *Chapeville, Barb. de Paroch. p. 2. c. 17.* Et quamvis fortè cum licentia Episcopi substituto æquè idoneo ad tempus abesse possit, debet tamen esse ita vicinus, ut in omnes populi necessitates intendere possit.

8. Vagis peste infectis tenetur providere Parochus, in cujus Parochia decumbunt. 9. Si plures simul petant Sacramenta, ij præferendi sunt, qui

petunt Sacramenta magis necessaria; inter æqualiter egentes, primò habenda est cura Principis, parentum, civium, alienigenarum. 10. Quæ dixi de Parocho, etiam tenent de Episcopo vel Prælato regulari, ita ut suis per se vel alium idoneum non tantùm in extrema, sed & in gravi necessitate spirituali cum periculo vitæ succurrere obligentur. 11. Quæ dicta sunt de tempore pestis, etiam locum habent in incurso hostium, Turcarum, hæreticorum &c. Ita ut Pastor tunc fugere non debeat, nisi & populus fugiat, sed suis commanere & indigentibus assistere, etiam cum periculo vitæ; poterit tamen latitare in occulto, ex quo suis providere possit. Item si parochianus tuus extremo supplicio afficiendus petat confiteri, tenetur Parochus eum adire cum periculo vitæ, nisi majora inde timeantur incommoda fidei vel aliis fidelibus: si hæreticus in ultimo agone petat in fide instrui, vel infidelis baptizari, quilibet tenetur eum instruere & baptizare saltem cum aliquali periculo, quia ad minus est necessitas spiritualis valde gravis.

QUÆR. VII. An liceat Sacramentum petere à Ministro indigno? 25.

R. 1. Extra casum extremæ necessitatis non licet petere Sacramenta à Ministro non tolerato, hoc est, nominatim excommunicato vel suspensso, notorio Clerici percussore, publicè per sententiam irregulari, publicè & in perpetuum degradato. Ratio est, quia Ecclesia graviter prohibuit cum his communicare, præsertim in



in Sacris. Idem in quibusdam Dice-  
 cessibus statuitur de publicis fornicariis  
 vel concubinariis. In extrema  
 verò necessitate, seu in periculo vitæ,  
 quando alius Sacerdos haberi non  
 potest, à non tolerato licet petere Sa-  
 cramenta necessaria, velur Baptif-  
 mum, *c. si quem 24. q. 1.* Sacramentum  
 Pœnitentiæ, *Trid. sess. 14. c. 2.* Idem de  
 Viatico, etsi præcesserit absolutio,  
 docet *Suar. d. 72. sect. 4. ex c. quod in te  
 de pœnit. & remiss.* De extrema Unctio-  
 ne contrarium dicit Innoc. III. ibi-  
 dem. 2. Ab excommunicato vel  
 suspenso tolerato ex gravi causa Sa-  
 cramenta peti possunt, quia Ecclesia  
 non prohibet cum his communica-  
 re, & perituræ res sanctæ, quam præ-  
 via contritione vel confessione licitè  
 præstare potest. Vide *Casum 114. q. 3.*  
 Gravis autem causa est, si urgeat præ-  
 ceptum Communionis annuæ, vel  
 quis diu non sit confessus, & alius  
 Minister sine notabili incommodo  
 haberi non possit, &c. 3. In dubio,  
 an Minister sit ministraturus Sacra-  
 mentum in mortali, ab eo peti potest,  
 quia in dubio debet præsumi bonus;  
 & quamvis paulò antè peccaverit  
 mortaliter, tamen præsumi potest se  
 disposuisse saltem per contritionem,  
 nisi constaret ipsum esse consuetudi-  
 narium, aut esse in occasione proxima;  
 tunc enim absque gravi causa  
 vel necessitate Sacramenta peti non  
 possent, ne ei detur scandalum vel  
 occasio peccandi.

26. QUÆR. VIII. Quid circa dispo-  
 sitionem & intentionem suscipientis?

27. 1. Ut quis licitè suscipiat Sa-

cramenta vivorum, requiritur status  
 gratiæ, & ad Eucharistiam non suf-  
 ficit contritio, sed jure divino in  
 peccatore requiritur confessio præ-  
 via, ut dicitur suo loco; ad baptif-  
 mum in adulto requiritur fides & at-  
 tritio de peccatis actualibus.

28. 2. Ut Sacramenta validè susci-  
 piantur, in adultis requiritur aliqua  
 intentio, in parvulis & perpetuò  
 amentibus sufficit intentio Christi &  
 Ecclesiæ; in adultis ad minus requi-  
 ritur & sufficit habitualis, hoc est,  
 voluntas præterita non revocata; un-  
 de qui post petitionem Sacramenti  
 incidit in amentiam vel lethargum,  
 validè baptizatur, confirmatur, com-  
 municatur, absolvitur, inungitur, &c.  
 quamvis in phrenesi vel amentia  
 contradicat. Imò ad baptismum val-  
 de probabiliter sufficit intentio im-  
 plicita inclusa in at- vel contritione,  
 ideòque Judæus in articulo mortis  
 attritus baptizari posset, etiamsi dicat  
 se nolle baptismum, quia verè attritus  
 habet voluntatem servandi omnia  
 Dei præcepta, & percipiendi media  
 ad salutem necessaria; ergò implicite  
 etiam vult Baptismum, & intentio  
 opposita est minus efficax; si enim  
 sciret Baptismum esse medium ne-  
 cessarium, certò illum veller. In  
 Confirmatione, Communione, Un-  
 ctione etiam sufficit intentio inter-  
 pretativa, qua quis ex vita Christianè  
 acta præsumitur hæc Sacramenta  
 velle, etsi de facto ea ob morbum,  
 amentiam, lethargum, &c. petere  
 non possit: de aliis dicitur suo loco.  
 Hoc adde, ad valorem reliquorum



Sacramentorum requiri Baptismum, quia Baptismus est *Janua vite spiritalis, per quem membra Christi ac de corpore efficitur Ecclesia*, uti definit *Florent.* in Decreto *Eugen. IV.* ad Armenos, ideoque soli baptizati sunt membra Ecclesiae, & capaces Sacramentorum, quae pro sola Ecclesia instituta sunt.

29. QUÆR. IX. An Sacramenta dari possint indigno?

31. I. Si suscepturus ita sit inhabilis seu indignus, ut ei Sacramentum nec validè conferri queat, nequidem metu mortis licitè conferri potest, ut si quis minetur te occidere, nisi baptizes Judæum invitum, vel puerum baptizatum, aut absolvas indispositum. Ratio est 1. quia tunc applicando materiam & formam, simulas te conferre Sacramentum, quod tamen scis te conferre non posse, ideoque illudis Christo, & verbis sacris ab ipso institutis abuteris, reddisque formam falsam, & mentiris in re gravissima; exercitè enim & in facto dicis te nomine Christi baptizare, absolvere, quod tamen scis fieri non posse, idque nunc certum videtur ex propositione 29. ab Innoc. XI. damnata: *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.* Similiter si intenter mors, nisi extra Missam consecres panem, peccas mortaliter, si absque intentione proferas formam ob rationem datam; posse tamen tali casu submissè recitari Orationem Dominicam vel aliam, vel super panem dici: *Hoc non est corpus meum, & super pœnitent-*

tem indispositum: *Ego te non absolvo*, docent *Carden. 2. crisi d. 20. n. 44. 52. Bosco hic n. 232.* quamvis circumstantes putarent te consecrare vel absolvere. Ratio est, quia hæc omnia de se sunt indifferentia, neque simulas circa administrationem Sacramentorum, quia non applicas materiam & formam, ideoque nec formam falsam reddis; idem alii dicunt, si metu adactus baptizes infantem baptizatum, affundendo vinum his verbis: *Pax tecum*, intellige hæc, si absit scandalum, & non petantur in contemptum religionis, qui raro aberit. *V. Henao n. 1776.*

30. Aliud est de Matrimonio, quod metu mortis inire potes, etsi scias illud ratione metus vel alterius impedimenti fore nullum. *Nav. Sanch. Castrop. de spons. punct. 12. Bosco n. 232. Spor. p. 4. c. 1. n. 21. La Croix n. 262.* quia non abuteris formam vel materiam Sacramenti; nam solus contractus absolutus & validus potest esse materia Sacramenti, qualis non est inritus ex metu, vel cum impedimento dirimente; neque hic est mendacium, quia ex circumstantiis gravis metus illa verba: *Accipio te in meam*, habent hanc restrictionem: *Quantum est in me, aut, si tenear.* *Scot. in 4. dist. 29. q. unica.*

31. II. Peccatori indigno, qui validè quidem, sed sine effectu sumeret, Sacramenta ministrare per se non licet, est *communis & certa*, tum ex perpetuo Ecclesiae usu, tum ex Concil. Arelateni, & probatur 1. ex Script. *Non est bonum sumere panem filiorum, & dare*



*Et dare canibus, Matth. 25. id est, ut explicat S. Tho. 9. 80. art. 6. peccatoribus manifestis. Idem 1 Cor. 4. Hic jam queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur; sed non est fidelis, qui Sacramenta sibi concedita indignis inutiliter & sine fructu dispensat, sicut Minister Regis non est fidelis; si pecunias datas ad conscribendos amicos vel milites profundat inutiliter; quid si det hosti vel proditori iisdem abusu ad injuriam Regis?*

32. 2. Minister, qui non avertit injuriam sui domini, cum facile potest, non est fidelis, multo magis si cooperetur; atqui cooperatur, dando Sacramentum indigno. 3. Peccat contra charitatem proximi, cooperando ad ejus peccatum. 4. Sacerdos peccat, collocando hostiam in loco sordido; ergo à priori, si det peccatori. Unde deduces seqq.
33. 1. Sacerdos consecrans in mortali tria distincta admittit sacrilegia, quatenus scilicet Sacramentum indignè conficit, indigno ministrat, & indignè suscipit; hæc tamen in confessione satis exprimuntur, dicendo: Semel conscius peccati mortalis consecravi. 2. Quamvis juxta communem Matrimonium ex justa causa post dispensationem impetratam licitè iniri possit, cum peccatore etiam publico, v. g. hæretico, eò quòd contrahentes principaliter conficiant contractum, & indirectè solùm Sacramentum; nihilominus Parochus Matrimonio assistens debet ex officio allaborare, ut sponsi sint in statu gratiæ, & si sponsus sit hæreticus ma-

34. terialis, debet cum eo elicere contritionem. 3. Peccatori publico etiam publicè negandum est Sacramentum, quia nullum jus habet, estque jam publicè infamatus, & sine scandalo & irreverentia dari non potest, S. Th. l. c. Peccator autem publicus vocatur, cujus delictum est notorium de jure, facto, vel fama, ut explicavi Casu 36. à n. 15. Sed quid si minetur mortem, nisi detur v. g. Eucharistiæ? Dari potest, nisi petat in contemptum religionis; si enim dari possit indigno pro conservanda ejus fama, cur non pro conservanda vita ministrantis? 4. Si crimen non sit publicum, attamen notam omnibus præsentibus, neganda est Communio, quia negari potest sine nova infamia; si verò uni aut alteri ex præsentibus non sit notum, neque simpliciter sit publicum, non est neganda Communio, quia adhuc retinet jus ad famam respectu horum. Si crimen quidem aliquos ex præsentibus lateat, sit autem simpliciter publicum, vel publicum in vicinia, ex qua facilè hic sit publicandum, adhuc negari debet, quia amisit jus ad famam etiam hic, & temerè Sacramentum petendo est causa, quòd crimen etiam ignorantibus propaleretur. 5. Ut peccatori publico Sacramentum publicè dari possit, debet publicè constare de ejus emendatione; quod tunc fit, si coram pluribus sit confessus, & sustulerit occasionem proximam. Si pluries confessus semper sit relapsus, aut retinuerit occasionem proximam, non dimittendo v. g. concubi-



nam, &c. ad Sacramenta admitti non potest, quia adhuc publicè est indignus, *Bernal. d. 48. n. 45.* Si occultè egit pœnitentiam, occultè admitti poterit, non publicè. 6. Si delictum publicum sit certum, & emendatio dubia, Sacramentum negari debet, quia certitudo delicti est in possessione; si crimen sit dubium, vel de eo sola est probabilis vel publica suspicio absque morali certitudine, Sacramentum negari non potest, quia habet jus certum ad famam & Sacramenta, quo per suspensionem incertam privati non debet, *Suar. d. 67. f. 6. Henric. Vasq. d. 209. c. 5. Spor. n. 185.* Ex eadem ratione si delictum sit certum, sed dubitetur an sit publicum, debet Sacramentum negari occultè, sed non publicè.

37. 7. In articulo mortis etiam peccatori publico Sacramenta negari non debent, modò contritionis signa dederit, necessitas excusat à scandalo, vel scandalum tollere debet Minister, publicando occultam ejus pœnitentiam, *Suar. l. c. Castrop. punct. 20.* 8. Si peccator occultus petat occultè, neganda est Communio; id enim exigit reverentia Sacramenti, & negari potest absque infamia, nisi indignitas solùm cognita sit ex confessione, *Sylv. Nav. c. 21. n. 55. Fagnol. Coning. q. 80. a. 6.* Tunc enim negans læderet sigillum, nec enim vel licet loqui pœnitenti de auditis in confessione, minùs tacitè exprobrare crimen confessum, quod fieret negando Eucharistiam; nihilominùs tunc posse negari Eucharistiam, si nullus

alius sit præsens, docent *S. Thom. in 4. d. 9. q. 1. Vasq. Suar. supra, Castrop. n. 20.* quia videtur non esse illicitum uti scientia confessionis ad proprias actiones moderandas, si nulli inde fiat suspicio criminis uti hîc, aliàs non liceret negare Eucharistiam, quam ex confessione scio peti ad comburendum, vel ad usum magicum, neque negare possem gladium, quem scio peti ad me occidendum; sed de hoc dicam *Cas. 100. n. 12. & seq.*

9. Si occultus peccator publicè petat, admitti debet, si repelli non potest absque infamia, *S. Th. q. 80. a. 6.* & habetur expressè *cap. si tantum. c. placuit. q. 2. c. si Sacerdos de offic. ord.* Ratio est, quia occultus peccator retinet jus ad famam; & quamvis Christus etiam habeat jus, ut non inhonoretur ab indigno sumente, tamen illo jure uti non vult cum infamia peccatoris occulti, ut patet in Juda, quem occultè indignum à Communione non repulit, & obligatio tales repellendi esset onus intolerabile pro Ministro, darètque occasionem infinitam litium, scandalorum, inimicitiarum, &c. Erit tamen talis peccator privatim monendus, vel si non possit, omnes in genere hortandi sunt ad dignam Sacramentorum susceptionem.

39. *Dices 1.* Episcopus potest occultè indignum v. g. irregularem publicè repellere ab Ordine, ergò & à Communione. *2.* Non repellendo cooperatur ejus peccato. *3.* Petens hostiam ad eam projiciendam in cloacam, vel ad comburendam, potest publi-



publicè repelli. 4. Ad tuendam vitam vel honorem innocentis licitè aperio occultum scelus iniqui insidiatoris; ergo & licitè cum infamia nego Eucharistiam pro tuendo honore Christi. 5. Si Cajus repetat suum gladium ad se vel alium occidendum, debeo eum negare etiam cum infamia; ergo & Eucharistiam, quia moraliter occidet animam. 6. Præceptum non dandi Sacramentum indigno est negativum, ergo obligat semper pro semper.

*R.* ad 1. Si ordinandus sit indignus propter peccatum occultum, etiam repelli non debet cum infamia; quia tamen plerumque potest sine infamia ab Ordine repelli, & plerique rejiciuntur propter defectum physicum natalium, ætatis, tituli, subjectionis, &c. hinc etiam publicè rejici debet vel maximè irregularis, quia ita Ecclesia præcipit, & si quæ sit infamia, hic prævalere debet bonum publicum Ecclesiæ. *Ad 2.* Cooperatur tantum materialiter, præbendo rem optimam, qua suscipiens potest & debet benè uti. *Ad 3.* Nego consequens. Christus tali casu resignavit juri suo, non verò innocens juri ad vitam & honorem. Deinde sacrilegium præcipuè consistit in actu interno, seu in voluntate Sacramentum indignè sumendi, quæ jam tum existit, & per publicam Sacramenti sumptionem impediri non potest, damnum verò vitæ vel honoris consistit in actu externo, qui manifestando crimen occultum insidiatoris vel negando gladium potest impediri; hinc patet

*ad 5.* *Ad 6.* distinguo consequens. Ergo obligat semper pro semper in certis circumstantiis, C. in omnibus, N. *Non occides* est præceptum negativum, & tamen non obligat in casu necessariæ defensionis, ira & hic.

40.

QUÆR. X. Quis sit effectus Sacramentorum & Sacramentalium?

*R.* 1. Effectus omnibus Sacramentis communis est gratia; gratia autem est duplex, habitualis & actualis; habitualis est qualitas supernaturalis permanens, reddens hominem sanctum, justum, amicum & filium Dei adoptivum & hæredem cæli; gratiam habitualement consequuntur seu cum ea simul infunduntur habitus supernaturales omnium virtutum, quibus homo adjutus permanenter possit elicere actus meritorios vitæ æternæ, fidei, spei, charitatis, aliarumque virtutum. Gratia actualis est auxilium hominem transeunter adjuvans ad eliciendos actus supernaturales virtutum, maximè si homo per peccatum mortale amisit gratiam sanctificantem, & consequenter habitus supernaturales virtutum; tunc enim necesse habet adjuvari auxilio transeunte. 2. Omnia Sacramenta in omnibus ritè dispositis ex opere operato causant gratiam habitualement seu sanctificantem, in infantibus, perpetuò amentibus aut adultis æqualiter dispositis æqualem, in aliis majorem vel minorem pro majori vel minori subjecti dispositione. *S. Th. 2. 2. q. 69. a. 1.* ita tamen ut Sacramenta digniora, v. g. Eucharistia & Baptismus, cæteris paribus, plus gratiæ causent



sent quàm alia; gratiam sanctifican-  
tem comitantur habitus supernatu-  
rales virtutum, item jus ad specialia  
& copiosiora auxilia gratiæ actualis  
suo tempore danda pro cuiusque Sa-  
cramenti sine consequendo condu-  
centia in quo jure gratia Sacramenta-  
lis distinguitur à gratia communiter  
dicta. 3. Tria Sacramenta, scilicet  
Baptismus, Confirmatio & Ordo in-  
super causant characterem seu qua-  
litate indelebilem in anima, quâ  
homo designatur servus, miles, mi-  
nister Christi, hæc qualitas in damna-  
tis manet ad confusionem, in beatis

ad gloriam. 4. Sacramentalia hæc  
dicuntur omnes cæremoniæ ab Ec-  
clesia ad cultum DEI, & præcipuè  
circa decentem Sacramentorum ad-  
ministrationem institutæ, ut exor-  
cizationes, benedictiones aquæ, vini,  
cereorum, vestium, Virginum, Ab-  
batum, &c. hæc omnia non causant  
gratiam ex opere operato, neque  
peccata venialia remittunt, nisi in  
quantum mediante impetratione Ec-  
clesiæ causant in voluntate pios mo-  
tus, qui proindè merentur gratiam  
vel remissionem venialium. *S. Tho.*

4. 3.



## CASUS LXXXIX.

## De Baptismo.

**B**atius Theologus interrogatur:  
1. Quid sit Baptismus. 2. Qua  
materia remota. 3. Que proxima,  
ubi de variis dubiis. 4. Quid de forma  
ejusque mutatione. 5. Quotuplex sit  
Baptismus. 6. Qualiter necessarius.  
7. Quis sit Minister ordinarius, extra-  
ordinarius, & quis inter hos preferendus.  
8. An liceat baptizare alienos parochia-  
nos. 9. Quid de vagis & peregrinis.  
10. An liceat Baptismum accipere vel  
petere ab heretico saltem ex timore gravis  
mali. 11. An infantes & amentes bap-  
tizari possint. 12. An infantes in utero  
matris, an mater teneatur admittere  
scissionem ventris, quid si mater moria-  
tur. 13. Quid de abortivis. 14. Monstris.  
15. An in vitis parentibus baptizari pos-  
sint infantes hereticorum. 16. Infidelium.  
17. Quid si infideles sint mancipia vel  
bello capti: vel unus parentum consen-  
tiat, vel ideo petat, ut infans liberetur  
ab infestatione demonis. 18. Quid si in-  
fans per fas vel nefas jam sit à parentibus  
abstractus. 19. Quid si parentes sint mor-  
tui, aut proles petat, vel sit in periculo  
vite. 20. An aliquando Baptismus reue-  
randus, & qua requiratur dispositio in  
adulto rebaptizando. 21. Quid de in-  
fante baptizato ab obstetrice vel heretico.  
22. Quid de expositiis. 23. Quid de  
eo qui multum angitur super valore sui  
Baptismi. 24. An dubius de Baptismo  
debeat abstinere ab aliis Sacramentis,  
& si sit Sacerdos, Religiosus, de novo  
ordinari, confiteri, Novitiatum servare,  
pro-



profiteri, &c. 25. Quid si Parochus in confessione audiat se & alios invalide baptizatos. 26. Quid de libro baptismali, & an puerpera semper debeat edicere patrem. 27. Quid si Parochus dicat, se nolle baptizare prolem, si sit illegitima. 28. Quale peccatum sit baptizare extra Ecclesiam. 29. Quid si mulier in via parturitura petat tuum auxilium. 30. Quid si sub Missa audias periclitari infantem. 31. Quid circa obstetrices & matres, ne ad lectum suum assumant infantes. 32. Quid circa ritus, 33. Patrinos, quid si plures se ingerant non designati. 34. An cognatio contrahatur in Baptismo non solemni. 35. An liceat adhibere patrinum hæreticum vel gentilem, aut puero dare nomen ethnicum? Pro Resolut.

I. QUÆR. I. Quid sit Baptismus? Quando institutus? Quæ ejus materia, forma?

RE. I. Baptismus est Sacramentum hominem spiritualiter regenerans, seu remissivum peccati originalis per ablutioem in aqua naturali, sub hac vel æquivalente verborum forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* 2. Est institutus à Christo probabilius ante passionem, quando fuit à Joanne baptizatus in Jordane. *S. Tho. q. 66. a. 2.* Quia tunc aquæ à Sanctis Patribus dicuntur sanctificatæ, & Apostoli ante passionem baptizabant auctoritate Christi; non fuit tamen obligatio suscipiendi Baptisum, nisi post passionem evangelio sufficienter promulgato. 3. Materia remota est aqua naturalis. *Trid. sess. 7. de Bapt.* Aqua certò naturalis est certò sufficiens,

R. D. Jansen Pars II.

velut aqua maris, fontis, paludis, pruina, vaporum in hyeme ex parietibus & ollis igne supposito exsudantium, aqua è luto expressa, è nive, grandine, glacie resoluta, licet accidentaliter sapor, odor, color mutatus sit. Materia certò insufficiens est quilibet liquor specie distinctus ab aqua naturali, ut vinum, saliva, urina, lac, nix, &c. Materia dubia est quilibet liquor, qui tantum dubiè aut probabiliter est aqua naturalis, ut aqua rosacea, è vino extracta, sudans ex arboribus, &c. Materia proxima est ablutio, quæ fit vel trahendo corpus per aquam, vel aquam fundendo in corpus; alicubi fit ter, alibi semel, in quo servanda est consuetudo Diœcesis, quam transgredi est veniale, *Scot. Dicast. d. 1. de Bapt. n. 43.* quia non est mutatio notabilis; uti aqua non benedicta in Baptismo non solemni licitum est, in solemni juxta *Sennyet* est solum veniale, juxta *La Croix n. 263.* mortale, quia id prohibetur *Clement. unic. de Baptismo.* Aqua calida meritò adhibetur, si periculum sit, ne frigus noccat infanti. Ablutio certò est sufficiens, si fiat in principali parte corporis, v. g. capite, pectore, scapulis, &c. incerta est, si fiat in parte minus principali, v. g. in digito, pede, aut in utero matris; vel si aqua non fluat per corpus; si nix prius resolvatur in corpore baptizandi; si baptizans baptizandum subjiciat canali, ex quo aqua fluit; si infans adhuc sit involutus secundinis, talis ablutio in sola necessitate faciendâ est, & ex post

C re-



repetenda sub conditione. Certò insufficientis est, si nulla pars corporis immediatè tangatur; si solæ vestes vel lintea abluantur; si baptizandus in aquam profiliat, & alter verba pronuntiet; quia tunc seipsum potiùs abluit, quàm abluatur à pronuntiantè verba; si quis infantem projiciat in aquas, pronuntietque formam, valet Baptismus, quia est vera immersio, & forma est debitè applicata materiæ; id tamen probabiliùs non licet, etiam si infans esset moriturus absque Baptismo, quia videtur esse directà occisio innocentis, & non sunt facienda mala, ut eveniant bona. *Sot. Suar. Gob. Dian. & certum esse dicit Palao punct. 4. n. 12. Metzg. ar. 2. n. 14.*

4. Valet omnis forma habens eundem sensum cum hac: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Hinc valet forma Græcorum: *Baptizetur servus Dei Cajus in nomine Patris, Amen, in nomine Filii, Amen, &c.* Item valet: *In nomine Dei Patris, Dei Filii, vel, Christi Dei Filii, &c.* Item: *Ego Sacerdos, ego Petrus te abluo, &c. baptizo tuam dominationem, &c.* Certò insufficientis est: *In nominibus Patris, & Filii, &c.* quia significatur pluralitas Deorum. Item: *Baptizo te in nomine IESU Christi, Amen. In nomine DEI, vel, sanctissime Trinitatis.* Aut: *Baptizetur Petrus à Christo, &c.* Forma est dubia, si omittatur *in*, vel *in* *Et*, item *in* *Ego* in aliquibus linguis, ut Germanica & Gallica, juxta *Gob. tr. 2. à n. 88.* vitiat formam, sicut & notabilis interruptio verborum, qualis non est, si unum vel alte-

rum verbum interponatur, v. g. *Parochus inceptâ formâ dicat: Tacete, & deinde pergat. Vide Cas. præc. à n. 8.*

QUÆR. II. Quotuplex sit Baptismus, & qualiter necessarius? 5.

ꝑ. 1. Baptismus est triplex: Sanguinis, Flaminis & Fluminis. *Baptismus Sanguinis* idem est ac martyrium; per martyrium autem intelligitur perpessio mortis vel cruciatus lethalis pro Fide, quæ perpessio in adultis debet esse voluntaria saltem habitualiter. Effectus ejus in infantibus, perpetuò amentibus, & in adultis, attritis vel contritis est expiatio omnis culpæ ac pœnæ. *Baptismus Flaminis* idem est quod contritio perfecta, aut actus perfectæ charitatis in Deum; hi duo Baptismi non sunt Sacramentum, quia non sunt ceremonia sacra à DEO instituta, &c.

ꝑ. 2. Solus Baptismus Fluminis est 6. verum Novæ Legis Sacramentum, omnibusque hominibus necessarius necessitate mediæ, & quidem infantibus seu perpetuò amentibus reipsâ susceptus. *Trid. sess. 7. c. 5. de Bapt.* Et quamvis olim in Ecclesia Baptismus differretur usque ad adultam ætatem, ut se per actus fidei & spei meliùs disponerent; quia tamen id erat periculosum & zelus indiscretus, ideo Ecclesia præcepit, ne Baptismus infantum differretur ultra triduum. Parentes differentes ultra mensem, vel juxta *Semyei*, ultra 15. vel 20. dies, peccant mortaliter, quia universalis Ecclesiæ consuetudo & decreta multarum Synodorum prohibent



bent differre ultra triduum vel quadriduum. Adultus tenetur non ex jure Ecclesiæ, quia huic ante Baptismum nondum est subiectus, sed ex jure naturæ & Divino Baptismum suscipere, quamprimum commodè potest; si in re suscipere non possit, sufficit susceptus in voto, seu inclusus in contritione perfecta, quâ quis ex amore DEI paratus est servare omnia DEI præcepta, ideòque & suscipere Baptismum, si possit. *S.Tho. q. 68. a. 2.*

7. QUÆR. III. Quid circa Ministrum Baptismi?

¶ 1. Minister ordinarius est Parochus in sua parochia, Episcopus in sua Diocesi, extra quam per se baptizare non licet, quamvis in se non sit actus jurisdictionis, quia id specialiter est prohibitum à Dionysio Papa. 2. Minister extraordinarius & in necessitate est quilibet homo viator, sive mas, sive fœmina, sive fidelis, sive infidelis, modò habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia Christi; si tamen Pastor, Sacerdos, vel Diaconus sit præsens, & baptizare velit, sub mortali præferri debent; nisi fortè verecundia vel honestas Clericum baptizare prohibeat, eò quòd v.g. puer necdum sit plenè natus ex utero; ratio est, quia Pastor, Sacerdos, Diaconus sunt Ministri ex officio, ut patet ex *Conc. Florent. de Sacram.* Quoad ceteros, scilicet Subdiaconum, virum, mulierem, &c. ordo tantùm servandus est ex congruentia, vel ad summum sub veniali; præferre tamen sine causa

fideli infidelem vel hæreticum, videtur gravis irreverentia, *Vasq. Suar. Laym. Ec. 3.* Sine licentia Parochi non licet Sacerdoti etiam regulari extra necessitatem baptizare, quia est actus pascendi proprius Parocho; & quamvis parvulus non baptizatus nec Parocho, nec ulli Ecclesiæ sit subiectus, subiecti tamen sunt ii, quibus parvulus per Baptismum aggregatur; his autem alium aggregare est proprium Parochi. Absente Parocho, qui vices suas nulli commisit, potest quilibet Sacerdos baptizare solemniter; imò in æquali necessitate etiam Diaconus, quia tunc habent licentiam præsumptam ab Ecclesia, quæ officium solemniter baptizandi Sacerdotibus & Diaconis committere solet, non verò Subdiaconis, &c. Parochus Diaconus necdum Sacerdos potest jure ordinario etiam solemniter baptizare. *Suar. Gob. tr. 2. n. 139.*

4. Peregrini & vagi possunt eligere locum Baptismi, quem volunt, & sic habere praxin testantur *Barb. Semyei.* Peregrina pariens in alieno pago potest facere prolem baptizari à Parocho loci, aut infantem mittere ad Parochum proprium, si vicinus sit; qui tamen non in aliena, sed in propria parœcia cum baptizare debet. *Pignat. tom. 7. conf. 41.*

5. Non licet Baptismum accipere à scismatico, minùs ab hæretico, quia hoc est communicare cum eo in sacris ritibus, & profiteri eum esse ordinarium talis Sacramenti ministrum, quod *Palao punct. 10. n. 12.* dicit esse



mortale; licitum tamen est nomen baptizati ferre ad Prædicantem, ut inscribatur, si id jubeat Magistratus politicus; imò si timeantur gravia mala, eò quòd Magistratus urgeat sub gravi pœna, vel maritus hæreticus minetur verbera, rixas, odia, &c. potest permitti Baptismus fieri ab hæretico, si constet eum debitam adhibere materiam & formam, in dubio sub conditione erit rebaptizandus, *Lugo disp. 14. de fide sect. 5.* vel juxta *Arsdekin* erit primò & occultè baptizandus à Catholico, quamvis ex pòst sit rebaptizandus ab hæretico. Major difficultas est, an non tantùm permitti possit Baptismus metu gravis mali, sed & peti ab hæretico? Negant *Verjuys tr. 6. a. 1. Pignat. consil. 41.* ubi refert declarasse Clementem VIII. quòd non liceat petere extra necessitatem extremam à scismaticis, multò minùs ab hæreticis, quia est agnoscere Prædicantem tanquam ministrum Sacramenti; licebit tamen ex gravi metu deferre infantem ad Prædicantem, quia id non tam est petere, quàm ex gravi causa Baptismus ab hæretico permittitur; neque est Prædicantem agnoscere Ministrum ordinarium, sed solùm sufficientem, quod verum est, essetque onus nimium grave pro Catholicis degentibus in terris hæreticorum, si potius deberent exilium aut jacturam bonorum sustinere, quàm infantem ad Prædicantem deferre. *Si dicas:* Ne quidem metu mortis licet à Prædicante accipere cœnam Calvinisticam, ergo nec Baptismus. *R. N. C.* Prædicans cœnam nec validè administrat, & accipere cœnam foret

externa professio sectæ falsæ, quia omnes judicant talem à fide recessisse, quod non tenet de recipiente Baptismus; aliàs enim nec in extrema necessitate hunc à Prædicante accipere vel petere liceret, quod nemo admittit.

QUÆR. IV. Quid circa subjectum Baptismi?

*R.* Subjectum capax Baptismi est omnis homo vivens ab Adamo descendens nondum baptizatus, unde resolves *seqq.* 1. De fide est contra Anabaptistas, infantes licitè & validè baptizari, *Trid. sess. 7. can. 12.* quia à prima conceptione obnoxii sunt peccato originali; ergo & capaces sunt Baptismi. Idem est de perpetuò amentibus & à nativitate mutis simul & surdis, qui æquiparantur infantibus, *Can. qui 7. caus. 16. q. 6.* Si verò aliquando habuerunt usum rationis, baptizari non possunt, nisi ante amentiam im- vel explicitè Baptismus petierint, *S. Th. p. 3. q. 68. a. 12. Suar. Laym.* Ratio est, quia in ratione utentibus requiritur consensus & intentio suscipiendi, ut dixi *Casu præc. n. 28.* 2. Infans in utero baptizari potest & debet, si sit periculum, & aqua per tubum, fistulam, vel alio modo ad eum deferri possit, quia talis Baptismus est probabiliter validus; est enim homo vivens, *Chap. Bonac. Dian. Pign. tom. 1. consil. 153.* debet tamen aqua esse tepida, ne noceat matri vel proli. *Si dicas:* Nandum natus ex Adam non potest renasci in Christo, *Can. qui in. 115. dist. 4. de conf. R.* Etsi talis nandum sit perfectè natus ex Adam vel ex utero, est tamen natus in



in utero ex Adam descendens; si infans ex utero protendat caput, in eoque baptizetur, certò valet baptismus; si baptizetur in brachio, pede, &c. Baptismus est dubius, idèoque si infans supervivat, repetendus; an autem mater teneatur permittere secari uterum, ut puer baptizetur, disputant Theologi; negant plures, quia medium est incertum, periculum matris certum, affirmat *Rayn. c. 5.* quia mater tenetur etiam cum vitæ periculo proli in extrema necessitate spiritali constitutæ succurrere, si sit certa spes Baptismi; talem autem esse per scissionem testatur iudicium & experientia medicorum; quidquid sit, mater admittens scissionem faciet actum heroicæ charitatis; si verò renuat, non erit multum urgenda ob probabilitatem sententiæ oppositæ. Si mater vivente fœtu in partu moriatur, statim vocetur chirurgus, qui cadaver aperiat, vel id faciat animosior ex præsentibus, exigit id periculum animæ; neque hîc curanda contradictio cognatorum, inter os matris retineatur apertum, ne infans suffocetur. 3. Omnes abortus nati ex concubitu humano quomodocunq̃ imperfecti sunt baptizandi, modò dent signum vitæ per motum, quia ex tali concubitu rarò nascitur aliud vivens, & plures medici docent, fœtum post tres vel quatuor dies à conceptione animari animâ rationali. Si abortus vel monstrum habeat membra hominis gemina, & dubitetur, an sit unus vel duo homines, duplex Baptismus conferendus est, unus absolute, alter sub conditione in ea parte,

in qua membra apparent imperfectiora, *Bonac. Laym. Castropalao p. 6. n. 4. & Rituale Roman. de Bapt.* Si infans præter naturam nascatur ex viro, uti Anno 1330. in Belgio ex dextero femore viri, eò quòd uxorem suam in puerperio ejulantem riserit, esse natum authenticè testatur *Loth Theol. tr. 15. a. 1.* talis infans baptizandus erit; quamvis enim non descendat ex Adam generatione ordinariâ, idèoque nec originale peccatum habeat, indiget tamen Baptismo, ut accipiat gratiam sanctificantem, habitus virtutum supernaturalis, & fiat membrum Ecclesiæ. 4. In monstris magna cautio adhibenda est, & si non sit periculum in mora, Ordinarius, vel alius peritus consulendus, ut monet *Agenda Colon. edita 1720. de Bapt. n. 24.* Monstra nata ex homine mare & bruto fœmina sub conditione, *sies homo*, baptizanda sunt, etiam si homini multum sint dissimilia; nata ex homine fœmina, & bruto mare, juxta plerosq̃ baptizari nequeunt, quia ex sola fœmina humana defectu feminis homo nasci non potest; sed huic rationi non multum esse fidentum probant historia apud *Less. & Malespin. tr. 1. Flor. curios.*

QUÆR. V. An invitis parentibus liceat baptizare proles hæreticorum vel infidelium?

3. 1. Licet baptizantur proles hæreticorum, si id velint Superiores Ecclesiastici, *Gonet, Metzg. d. 26. a. 1. Verj. a. 13.* quia sunt subditi Ecclesiæ, & Catholicus baptizans impedit, ne sacrilegè baptizet hæreticus, & adhibet sacros ritus; cavendum tamen, ne læ-

da-



datur pax publica; unde rarò expedit ejusmodi Baptismus, præsertim si proles cum periculo perversionis sit reddenda parentibus.

16. *¶* 2. Infantes infidelium, Judæorum, Gentilium per se invitis parentibus baptizari nequeunt, ut habet communis cum *S. Tho. q. 68. art. 10. cont. Scot. Gabr. Ledesma, &c.* quia parentibus fieret injuria ob jus naturale in proles, quæ sunt aliquid patris, & Ecclesia id prohibuit sub pœna suspensionis, teste *Pign. 10. 4. conf. 192.* *Dices* 1. Judæo prolem occidere volenti vi eripienda est, ergo etiam ut liberetur per Baptismum à morte animæ. 2. Infideles prædicationem fidei impediunt vi cogi possunt, ergo etiam impediunt Baptismum infantum. 3. Princeps potest parentibus invitis ob abusum patriæ potestatis statuere tutores, qui possunt invitis parentibus proles facere baptizari, de quo *Valent. disp. 4. q. 3.* refert decisionem Pontificis; ergo idem potest Princeps, qui est supremus tutor. 4. Parentes non habent jus proles abstrahendi à Baptismo, ergo eas baptizando non fit injuria parentibus; nec obstat, quòd reddendi sint parentibus cum periculo perversionis; nam duæ tertiæ infantum moriuntur ante usum rationis, teste Pontio; item benè dispositis licet conferatur Confirmatio, licet ex post sint in apostasiam lapsuri: ergo & Baptismus pueris pervertendis. *R. ad 1. N. C.* Occidere est contra justitiam naturalem, ad quam conservandam potestas secularis ordinata est: ne-

gligere Baptismum est contra virtutem supernaturalem, in qua infidelis nec Ecclesiæ, nec Principi est subiectus, ut constat ex perpetua Ecclesiæ praxi, *S. Tho. 2. 2. q. 10. a. 12. Ad 2. N. C.* Ex Evangelio & praxi constat, Ecclesiam habere potestatem mittendi prædicatores Evangelii, non autem baptizandi infantes invitis parentibus; & sicut hos non potest cogere ad fidem vel Baptismum, sic nec eorum infantes invitis parentibus baptizare. *Ad 3.* Potest Princeps invitis parentibus statuere tutores ad bona naturalia, non verò supernaturalia. *Ad 4.* Parentes habent jus, ne illis invitis proles baptizetur citra necessitatem, vel saltem Ecclesia non habet jus sic baptizandi, ut constat ex praxi, & si esset licitum sic baptizare, hoc ipso esset necessarium, alioquin Ecclesia deficeret in necessariis, *Terill. in reg. q. 64. n. 55.* Confirmatio & Pœnitentia datur etiam apostaturis, quia nemo est invitus, modò nunc sint dispositi. *Dixi, per se;* nam sæpè per accidens proles invitis parentibus infidelibus baptizari possunt: *Ut* 1. Si infideles sint mancipia hominis christiani, aut bello capti; tunc enim proles non ad patrem, sed ad dominum vel ad capientem spectat. 2. Si unus ex parentibus consentiat, quia in favorem prolis & fidei præferenda est justa voluntas consentientis alterius iniquè contradicentis, *c. Judæi 28. q. 1. Gonet, Laym. c. 6. n. 10.* Si parentes ideo petant filios baptizari, ut liberentur ab infestatione dæmonum, uti petunt Mahu-



motani à Franciscanis, *Sylvest.* docet baptizari posse, quia tertia pars moritur ante annos discretionis, & facilius convertuntur, si ex post cognoscant se à Christianis baptizatos, & ideo liberatos à dæmone. Sed plerique contradicunt cum *Pignat. conf. 190.* nisi excuset gravis metus, quia sunt reddendi parentibus certò educandi in Turcismo. 3. Infans justè vel injustè à cura parentum abstractus potest & debet baptizari, si nulla prudens spes sit, quòd ad suos redire possit, *Suar. Coning, Gonet, Verj. art. 2.* quia tunc prævalet jus, quod habet infans ad Baptismum, & illi, quibus nunc subest, sunt loco parentum. 4. Infans per fas vel nefas à parentibus abstractus & jam baptizatus non debet reddi, quia subjectus est Ecclesiæ, & reddi non potest sine periculo perversionis & injuria Sacramenti, *Palao punct. 6. n. 8. Metzg. disp. 26. a. 1.* 5. Parentibus mortuis potest Princeps invitis tutoribus prolem facere baptizari, si tutores constituti sint à Principe, secùs si à parentibus, *Sot. Vasq. Senn.* quia Princeps tutelæ per jus civile introductæ derogare potest, non autem juri parentum quoad supernaturalia, in quibus nec ipsi nec Ecclesiæ infideles subjecti sunt. 6. Si proles post usum rationis Baptismum petat, debet baptizari, quia in hoc est sui juris, si dubitetur de pleno usu rationis, non est reddendus parentibus, sed asservendus & instruendus, usque dum plenam rationem adeptus se resolvat, *Lug. Mor. l. 1. dub. 4. Suar. d. 25. f. 3.*

7. Possunt & debent invitis parentibus filii infidelium baptizari in periculo mortis, saltem si sit exigua spes reconvalescentiæ, quia tunc non est periculum perversionis, & jus parentum non videtur se extendere ad filios cum tanto eorum præjudicio, *Suar. Palao supra.*

QUÆR. VI. An aliquando reiterari possit Baptismus?

R. 1. Potest & debet sub conditione reiterari, quotiescunq̄ est prudens dubium de valore, & quidem quocunq̄ loco à quocunq̄ laico, etiam sine patris & aliis solemnitatibus, modò hæc antecederet adhibita fuerint; quòd si valor Baptismi est moraliter certus, nequit fieri rebaptizatio etiam sub conditione sine gravissimo sacrilegio, & si fiat absolute, incurritur irregularitas, *c. qui in caus. 1. q. 7. Senn.* Rebaptizandus adultus debet se disponere per fidem & attritionem de peccatis actualibus, probabiliter non tenetur confiteri, quia certus est se ante Baptismum non obligari ad confessionem, & Baptismus qui supervenit, est tantum dubius. 2. Infans in necessitate baptizatus ab obstetrice satis instructa & fide digna, vel coram testibus, non potest sine peccato rebaptizari, sed solæ cæremoniæ supplendæ sunt, in infantibus omisæ. In partu tamen valde difficili, quia ob præcipitantiam vel turbationem errores sæpissimè committi solent, Baptismum tunc collatum sub conditione repetere suadet *Agenda Colon. n. 31.* & exigit recta ratio. 3. Baptizari

20.

21.

ab



- ab hæreticis, de quibus constat quòd adhibere soleant debitam materiam & formam, rebaptizari non debent, quia non est prudens dubium de valore; debent tamen (idem est de quovis in necessitate baptizato) tunc in Ecclesia suppleri cæremonia in infantibus omittæ; dico, in infantibus, nam ex praxi Ecclesiæ in hæreticis adultis ad fidem converſis cæremonia non suppletur.
22. 4. Infantes expositi; probabilius sunt rebaptizandi, etiamsi habeant schedam de Baptismo suscepto, nisi in ea fortè notetur Baptismus solemnus, & Sacerdos baptizans, quia schedula ab ignoto authore non facit moralem certitudinem de valore, & in tali casu ordinariè baptizat ipsa mater, quæ fortè nunquam vidit aut didicit baptizare, nec præ pudore alterius auxilium rogare ausa fuit, aut si alius baptizavit, forsan præ turbatione aliquid substantiale omisit, nec desuper examinari potest, *Plat. p. 5. n. 138.*
23. *Dian. Metz. g. disp. 24. a. 4. 5.* Si quis aliàs non scrupulosus multum inquietetur circa valorem sui Baptismi, hoc ipso rebaptizari poterit, quia videtur grave dubium, & exemplis constat, ejusmodi agitados non fuisse baptizatos, *Gob. à n. 446. La Croix n. 313.*
24. 6. Manens dubius de valore sui Baptismi debet abstinere ab aliis Sacramentis, usque dum Baptismum renovavit, ne hæc absque causa exponat periculo nullitatis; Sacerdos si velit perseverare in suo officio, debet etiam de novo suscipere Ordines saltem majores, si ante illud dubium

jam plures absolverit, Missas erga stipendium legerit, ipse & pœnitentes tuti esse possunt, quia nullitas Baptismi non est certa, & in dubio præsumendum pro valore actus, & ipsi sunt in possessione. Similiter Religiosus dubius de Baptismo debet de novo sub conditione baptizari, confirmari, ordinari; non tamen opus est renovare professionem, ut dixi *Cas. 63. n. 12.* minus opus est novo novitiatu, quia jam satis probatus est. 7. Si Parochus ex confessione obstetricis audiat, se & alios invalidè aut etiam in nomine diaboli esse baptizatos; ante omnia eam inducat, ut fideliter specificeet omnes taliter à se baptizatos; deinde ut id fateatur extra confessionem, vel saltem Parocho det licentiam non baptizatos baptizandi: si metu infamiae vel etiam extremi supplicii, eò quòd fortè sit suspecta de magia, prævideatur in manifestationem non consensura, & ipsa obligationem manifestandi probabiliter ignoret, potest dissimulari, quia monitio non erit profutura, sed nocitura; deberet tamen tunc peti licentia eos saltem ignaros rebaptizandi; sic enim non erit periculum infamiae, & Baptismus valet, eò quòd quilibet fidelis censeatur habere habitualement vel virtualement intentionem suscipiendi Baptismum. Sed quid si nec in hoc consentiat? 8. Non esse absolvendam; probabiliter tamen poterit Parochus se & alios in confessione nominatos facere rebaptizari, si ex hoc consentienti vel aliis nulla fiat suspicio, quòd Parochus utatur scientia confel-



fectionis, quia tunc probabiliter non frangitur sigillum. V. *Caf. 100. n. 13.*

QUÆR. VII. Quid hinc circa varias obligationes Parochi?

26.

R. 1. Parochus tenetur omnium baptizatorum eorumque parentum & patrinorum nomina & cognomina cum annotatione anni, mensis & diei in librum ad hoc specialiter deputatum inscribere, *Trid. sess. 24. de reform.* Dicit tamen *Gobat append. 1.* Parochum non posse cogere puerperam, ut patrem manifestet, nisi iubeat Magistratus Ecclesiasticus, vel ita habeat consuetudo; rationem dat, quia mater non tenetur imò quandoque nec licite potest manifestare, si scilicet manifestatio causet scandalum, periculum vel infamiam patri, qui fortè est consanguineus, maritatus, Ecclesiasticus, paratus privatim satisfacere & sustentare prolem &c. Imò mater etiam à iudice interrogata non tenebitur respondere, sed potest uti æquivocatione congruâ, si ex manifestatione sibi vel patri imminet gravis infamia vel damnum, nisi fortè adesset semiprobatio, vel ex aliis indiciis semiplenè constaret de patre. Si timeatur solùm levis infamia, mater Parocho patrem aperire tenebitur saltem privatim, quia ipsius officium est nomen patris notare in libro baptismali, ut constet de consanguinitate spiritali & carnali in ordine ad contrahendum matrimonium, & ut sciatur, quis proli debeat alimenta; nominatio tamen mulieris non facit plenam fidem, ideòque Parochus non debet scribere: *Natus Titio pa-*

*R. D. Jansen Pars II.*

*tre; sed: Uti mater dicit, natus Titio patre; Sic nominatus si alia indicia accedant, cogi potest ad alendam prolem, ita tamen ut mater cogatur alere primo triennio. 2. Quamvis Parochus protestetur se nolle baptizare prolem illegitimam, si tamen eam ex post baptizet, baptismus erit validus, quia intentio baptizantis debet ferri in personam præsentem, qualiscunque illa sit: quòd si Pastor absolute nollet præsentem personam baptizare, nisi esset legitima, peccaret graviter, & baptismus esset nullus vel dubius, si conditio sit incerta. 3. Baptismus solemnus debet fieri in Ecclesia, *cap. cum un. de bapt.* baptizare enim extra eam est mortale, *Navar. Manual. c. 22. n. 7.* nisi excuset necessitas, v. g. obstetrix dicit infantem sine periculo ad Ecclesiam deferri non posse; vel permittat privilegium, quale habent principes, eorumque nepotes & pronepotes, & juxta *Gobat* omnes habentes jurisdictionem temporalem: attendenda tamen est consuetudo, quæ sæpè permittit, infantes Nobilium baptizari in sacello domestico. 4. Si mulier sentiens in via dolores partus à te prætereunte petat obstetricem manum, si opera tua pro vita matris aut pro vita vel baptismis infantis est necessaria & etiam profutura, tenetis ex charitate, etiã si sis Sacerdos vel Religiosus; si verò timeas, ne opera tua ob incertiam fortè plus sit nocitura quàm profutura, vel tempus permittat advocare mulierem, non tenetis per te ipsum juvare. 5. Pa-*

27.

28.

29.

30.

D

rochus



- rochus nunquam differat baptismum sub Missa audiens periclitari infantem, relicta tantisper casula etiam post consecrationem currat ad infantem, & ex post Missam compleat, meminerit se incurrere suspensionem, si sua cunctatione fiat, ut quis sine Baptismo discedat. *c. quicumque dist. 4. de consecrat.* 6. Obstetricem non toleret nisi Catholicam & approbatam ac circa substantialia probe instructam, moneatque, ut non baptizet nisi in magna necessitate, ut adhibeat testes, ut procuret pueros mature ferri ad Ecclesiam, ut moriente in partu matre curet ejus os manere apertum, inserendo aliquid intra dentes, ut sic infans vivere possit & baptizari. 7. Moneat frequenter matres & nutrices, ne infantulos noctu secum in lectu habeant, aut saltem ita accommodent, ut non sit periculum suffocationis, *Agenda Colon. n. 32. de obstetricibus agit pag. 294.*
31. QUÆR. VIII. Quid circa ritus & patrinus?
- R. 1. Ritus Baptismi consistunt in adhibitione aquæ benedictæ, abrenuntiatione Sathanæ, signo crucis in fronte & pectore, exorcismis cum exsufflatione, unctione chrisimatis in vertice baptizati: certum est esse mortale has omnes vel unam notabilem, v.g. unctionem chrisimatis extra necessitatem omittere, colligitur *ex Trid. sess. 7. c. 13. de Sacram.* ceremoniæ ex causa omisæ debent ex post in Ecclesia suppleri. R. 2. Circa patrinus tenenda sunt seqq. 1. Patrini
- 33.

dicuntur, qui infantem levant è fonte, & ordinariè sunt unus & una, sufficit tamen unus vel una. Adhibere ultra duos, vel duos ejusdem sexûs, vel omninò nullum, juxta communem est mortale. *Plat. hic n. 145.* 2. Officiùm Parochi est, moneere patrinus de obligatione instruendi infantes in defectu parentum, item de cognatione spirituali, quam contrahunt, & orto inde impedimento matrimonii, de quo *v. Cas. 107. n. 12.* Intercedit autem hæc cognatio spiritualis inter patrinus, baptizatum & parentes baptizati, item inter baptizantem, baptizatum & parentes ejus, non tamen inter patrinum & patrinam: quòd si patrini à parentibus non sint designati, nec in eorum defectu à parochi cognationem spiritualem non contrahunt, quia de designatis tantum loquitur Tridentinum. Si plures patrini à parentibus sint designati, aut se spontè ingerant, Pastoris erit unum & unam signo aliquo externo designare, quibus solis dein tradet infantem, & velut patrinus inscribet; reliquos potest addere ut testes. 3. In Baptismo non 34. solemnè solus baptizans contrahit cognationem spiritualem, non verò patrini, quia baptizans contrahit cognationem spiritualem ratione Sacramenti, quod æquè valet in necessitate quàm extra; patrini autem contrahunt ratione ceremoniarum, quæ pro baptismo solemnè tantum sunt institutæ. Baptizans propriam prolem in necessitate impeditur à matrimonio contrahendo, non ab usu con-



35. contracti, quia id nullibi est statutum, & statutum si quod fuit, est revocatum per c. si vir de cognat. Spirit. Nec semper verum est, quidquid dirimit matrimonium contrahendum, etiam impedit usum contracti, nisi quando jura id statuunt. Consonat Agenda Colon. n. 12. 4. A munere patrinorum excluduntur septennio minores, non baptizati, criminosi, ac publicè infames, hæretici, gentiles, &c. Admittere sinè gravi causa gentilem vel hæreticum est mortale, licitum ta-

men est Catholico esse patrinum infantis hæretici, quia hoc est spondere, quòd infantem in defectu parentum velit instruere in vera fide, item prohibentur Monachi esse patrini, per c. placuit & c. non licet. Monachos tamen excusari ex levissima causa dicit Sem. 5. Non est quidem præceptum, ut infanti imponatur nomen alicujus Sancti, est tamen omninò conveniens, nec facilè admitti debet nomen ethnicum, Catech. Rom. de Bapt. c. 14. n. 3. 36.



## CASUS XC.

## De Sacramento Confirmationis.

**C**anonus Episcopus: 1. Plures confirmat in puro oleo non benedicto, per se & simplices Sacerdotes in pectore aut in fronte absque forma Crucis, infirmos per bacillum in chrismate veteri. 2. Confirmat electus, nondum consecratus, hæreticus, &c. 3. Raro confirmat, unde subditi Confirmationem negligunt, vel in peccato suscipiunt, vel eà non susceptà recipiunt sacros Ordines. 4. Confirmat infantes, amentes. 5. Non subditos in aliena dicecesi. 6. Patrinos non adhibet, vel adhibet plures, inter quos sunt non confirmati, Religiosi, aut hæretici, &c.

1. Resolutio constabit ex seqq. 1. Confirmatio metaphysicè est Sacramentum spiritualiter corroborans ad fidem in quacunque circumstantia fortiter propugnandam; physicè est

unctio chrisimatis in fronte baptizati, facta ab Episcopo, vel de licentia Papæ, à Sacerdote, sub hac verborum forma: Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, &c. Conc. Florent. & Trid. sess. 7. c. 1. de confir. 2. Materia ejus remota est chrisma seu oleum mixtum balsamo, ab Episcopo benedictum; utens oleo puro seu oleo infirmorum peccat mortaliter, quia Sacramentum exponit periculo nullitatis; balsamum enim & benedictio Episcopi probabiliùs sunt de essentia confirmationis; quia Florent. illa principaliter requirit; & quamvis simplex Sacerdos ex dispensatione solius Papæ (non verò Episcopi) possit confirmare, ut decrevit Florent. non tamen benedicere chrisma, quamvis

D 2 hoc



hoc in se sit quid minus, ratio est praxis & traditio Ecclesiæ. Materia proxima est unctio, quæ essentialiter fieri debet in fronte in forma crucis & per manum ministri, non autem per instrumentum, *Florent. & S. Tho. hic a. 9.* Uti chrismate prioris anni est mortale; attamen valet Confirmatio. *c. si quis dist. 4. de confir. Palao. p. 9.* 3. Minister ordinarius est Episcopus, qui si consecratus sit, validè confirmat, etiam si sit excommunicatus, non toleratus aut publicus hæreticus, *Suar. Barbof. alleg. 39. n. 2.* quamvis peccet mortaliter indignè & contra præceptum Ecclesiæ conferendo Sacramentum. Ratio est, quòd confirmare sit actus Ordinis, non jurisdictionis; Episcopus autem non toleratus vel hæreticus, quamvis privetur jurisdictione, manet tamen validè ordinatus. 4. Episcopus ex præcepto *Trid. l. c.* tenetur hoc Sacramentum suis conferre, quoties opus fuerit, etsi fideles probabiliter non obligentur ad illud suscipiendum, *S. Tho. art. 8. ad 4.* eò quòd de hoc non extet præceptum, debent tamen tam Episcopus quam suscipientes esse in statu gratiæ, quia est Sacramentum vivorum; iteratò conferre vel scienter recipere Confirmationem est mortale, quia Sacramentum hoc est irreiterabile; eò contrà Ordines suscipere vel scienter conferre ante Confirmationem, videtur tantùm veniale. Nec obstat, quòd *Trid. sess. 23. can. 4. de reform.* dicat: *Primà Tonsurà non initientur, nisi Sacramentum Con-*

*firmationis susceperint.* Nam hæc verba non satis probant obligationem gravem, sed potiùs significant consilium, majorem congruentiam, & utilitatem. 5. *Meratius* dicit, esse mortale, Confirmationem dare infantibus aut perpetuò amentibus, quia est contra Ecclesiæ consuetudinem graviter obligantem, sicut ex eadem causa mortale est dare iisdem Eucharistiam: sed mitiùs de Confirmatione loquuntur *Coning, Suar. d. 35. f. 2. Granado tr. 2. d. 2. n. 4.* quia non convenit eos privare gratiâ hujus Sacramenti; per accidens est quòd non valeant pugnare pro fide, nec satis constat de Ecclesiæ consuetudine graviter obligante: de Eucharistia est alia ratio ob periculum irreverentiæ. 6. *Quamvis* Episcopus plerumque confirmare possit quoscunque fideles ad se venientes etiam alterius diocesis, quia ex praxi Ecclesiæ habet tacitam licentiam ab aliis Episcopis; tamen non potest in aliena Diocesi etiam circa suos exercere Pontificalia, id est ordinare, chrisma conficere, benedicere virgines, Ecclesias & altaria consecrare, &c. quia ad hoc requiritur specialis licentia Episcopi loci. *Trid. sess. 6. c. 5. de reform.* 7. Effectus hujus Sacramenti est gratia sanctificans, & gratiæ actuales seu auxilia specialia ad tuendam fortiter fidem & ad superandas tentationes contra eam occurrentes; item character indelebilis in anima, quæ confirmatus designatur miles Christi. 8. Adhiberi debet patrinus Catholicus & confirmatus, adhibere infidelem



lem vel non confirmatum, juxta plures est mortale, neque cognationem contrahunt, *Castropalao p. 10.* Debet autem esse unus vel una distinctus à patrino baptismi, *c. non plures. c. in catechis. dist. 4. de Confir.* Hoc ultimum tamen dicit Gob. contrariâ Ecclesiæ consuetudine esse abrogatum: congruum est ut mas sit patrinus maris, fœmina fœminæ, & ita habet usus Ecclesiæ & Pontificale Roman. In magno concursu, ubi facilè pa-

trinus haberi non potest, Confirmatio potest fieri sine patrino, vel unus potest esse plurium patrinus; monachus non potest esse patrinus, nisi confirmandus sit religiosus, *c. non licet. c. monachi dist. 4. de Confir.* quod tamen non satis constat esse præcepti. De cætero patrinus contrahit cognationem spiritualem cum confirmato & ejus parentibus, quæ cognatio dirimit matrimonium contrahendum, ut dicam *Cas. 107. à n. 12.*



## De Sacramento Eucharistiæ.

## CASUS XCI.

## De ejus natura, materia, forma, &amp;c.

**D**aphnes neo-Sacerdos petit informari: 1. Quid sit Eucharistia; an species, vel sumptio sint de ejus essentia. 2. Qualiter Christus sit præsens. 3. An sit unum, vel plura Sacramenta. 4. Quæ sit materia proxima, quæ remota. 5. An liceat uti pane bis cocto, sale mixto, hostiâ maculatâ, fractâ, non rotundâ, parvâ. 6. Pane fermentato: Quid de transeunte per terras Græcorum, & quid in necessitate. 7. Quid de pane ex hordeo, avena, oriza, milio, aut ex vitico sed subactò saccharo, ovis, melle, butyro; quid de amylo, siligine, spelta, an saltem adhiberi possint pro conficiendo aziatico. 8. An materia calicis sit vinum ex uvis immaturis, vinum pani imbibitum, vinum in uvis adhuc existens. 9. Quid de vino congelato. 10. Quid de musto. 11. Quid de vino vappido,

acescente, Hispanico. 12. Quid de aqua vino miscenda; quid si haberi non possit, vel oblitus fuisti. 13. Quid si una species sit invalidè vel dubiè consecrata. 14. Quid si aranea vel vespa cadat in calicem consecratum. 15. Quid de intentione Ministri ejusque scrupulis. 16. Quid si consecrasti duas hostias, ratus esse unicam. 17. Quid de hostiis inscio Sacerdote appositis, aut de guttis calici adherentibus. 18. An hostia pro populo post oblationem acceptari possint; quid si earum tempore consecrationis non recorderis. 19. Qualiter materia debeat esse præsens. 20. Determinata. 21. Quid de forma, ejus mutatione, prolatione, &c. Pro Resolutione

QUÆR. I. Quid sit Eucharistia?

1. Metaphysicè est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi

D 3 sub



sub speciebus panis & vini in ultima Cœna à Christo Domino ad reficiendas spiritualiter animas institutum. Est de fide *ex Conc. Lateran. c. firmiter de Summ. Trinit. Florent. in decreto Eugenii. Trid. Sess. 7. § 13. c. 1. de Sacram. in genere.* Unde patet, quòd ejus finis & effectus primarius sit spiritualis animæ refectio consistens physice in augmento gratiæ cum jure ad actualia auxilia, quibus homo adjutus proficiat in vita spirituali & exercitio virtutum. *R. 2.* Hoc Sacramentum physice constituitur ex speciebus, Corpore & Sanguine Christi, ita ut & species sint de ejus essentia, non verò ipsa sumptio, quæ tantum est applicatio seu conditio requisita ad effectum Sacramenti. *S. Thom. 9. 78. a. 1. ad 2. Scotus & communissima contra Aureol. Dicast.* Ratio est, quia antecedenter ad sumptionem conficitur Eucharistia, fitque Christus præsens per verba consecrationis, ut declararunt *Florent. & Trid. l. cit.* Unde patet, Eucharistiam esse Sacramentum omnium sanctissimum & perfectissimum, quia continet realiter ipsum sanctitatis Authorem, ideoque & abundantiore gratiam capiat dignè sumentibus. An autem verba consecrationis hoc Sacramentum in facto esse constituent, vel potius sint ejus causa, non facit ad praxin, ideoque Scholasticis disputandum relinquo.

2. QUÆR. II. Qualiter Christus sit præsens in Eucharistia?

*R. 1.* Est de Fide, post consecrationem non amplius manere substan-

tiam panis & vini, neque cum Christo, ut vult Lutherus, neque sine Christo, ut vult Calvinus, sed solum Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus panis & vini; hinc in consecratione dicitur fieri vera transubstantiatio, hoc est, conversio totius substantiæ, in substantiam totaliter novam. *Trid. Sess. 13. c. 3. § 4.* manetque Christus tamdiu, quamdiu manent species; si species consecratæ miscantur vino non consecrato, vel liquori non habenti vim expellendi formam vini, si adesset, manet Christus sub prioribus speciebus, vinum tamen profanum non redditur consecratum, quia mixtio non habet vim consecrandi, *S. Thom. 9. 77. a. 8. ad 3. 2.* Christus non fit præsens per divisionem aut sumptionem specierum, sed per consecrationem, & quidem totus sub tota & totus sub qualibet parte specierum, *Trid. l. cit.* Et quamvis species sint alterabiles, divisibiles, non tamen Christus, *S. Thom. 9. 87. a. 3.* quia Corpus Christi in Eucharistia nunc est gloriosum & naturaliter impassibile, nec recipere potest qualitates alterativas, ideoque non potest dici calefieri, tangi, &c. quia non existit extensum, extensio non minus requiritur quam approximatio, *Merat.* Rectè dicitur Christus moveri, elevari, demitti in stomachum, manducari, &c. ob motum non in se, sed in speciebus, cum quibus unitus est, receptum, *S. Thom. 9. 76. a. 6.* Non rectè dicitur frangi vel misceri, quia fractio vel mixtio dicit separationem partium. 3. Quamvis phy-



physicè tot dici possint Sacramenta, quor sunt species, & partes specierum, moraliter tamen est unum, si proponatur vel sumatur per modum unius; sicut cibus & potus sunt unum convivium, sic Corpus & Sanguis Christi unum Sacramentum, & una spiritalis refectio; nec inde sequitur, laicos sub speciebus panis tantum accipere Sacramentum inadæquatum, aut partem tantum gratiæ; nam sub qualibet specie est totus Christus secundum Corpus & Sanguinem; & quamvis quælibet species non sumatur per modum cibi & potus, continet tamen totum id quod editur & bibitur; hinc ex opere operato probabilius confertur tantum gratiæ, si sumatur una species, quam si sumatur utraq; ut docet communis cum *S. Thom. Bonav. contra Abul. Vasq. Lug. hic d. 12. s. 3.* 4. Ex dictis sequitur contra hæreticos, Christum in Eucharistia rectè adorari, circumferri in processionibus, asservari in Sacratio, deferri ad ægros, ut constat ex perpetua Ecclesiæ praxi, ex Conciliis *Niceno, Florent. Trid. & SS. PP.* Hæreses plurimas circa hoc Sacramentum exortas & solidè refutatas v. apud Bellarm. de Missa.

4. QUÆR. III. Quæ sit materia Eucharistiæ?

Re. 1. Materia proxima & permanens sunt species; materia remota & transiens est panis triticeus, & vinum de vite. Est iterum de fide ex definitione Concilii *Lateran. Florent. Trid. Sess. 13. c. 1.* Et Christus hac materia usus est, eamque usurpandam

tradidit Apostolis, *Matth. 26. Luc. 22. 1 Corinth. 11.* Unde quod certò est panis triticeus, & certò est vinum de vite, est materia ad valorem Eucharistiæ certò sufficiens; quod dubiè est tale, est materia dubia.

Re. II. Materia hostiæ ordinaria & certò sufficiens est panis confectus ex farina triticea, aquâ naturali coagmentatus & igne tostus, & omnis panis ab hoc specie non differens, *S. Thom. q. 74. a. 7. ad 3.* Unde inferes sequentia: 1. Certò valet panis bis coctus, item sale mixtus, qui juxta Gobat etiam licitè adhibetur, si alius desit, quia est panis usualis, nec lege, nec consuetudine prohibitus. 2. Certò valet hostia, in qua est macula vel fractura, quæ si parva sit, non videtur curanda; si valde enormis, mutanda est etiam post oblationem, & prior sumenda cum ablutione; sine causa adhibere notabiliter deformem vel fractam, vix excusari poterit à mortali ob gravem irreverentiam, quod magis tenet de hostia aliquantum corrupta. 3. Consecratio in Ecclesia Latina ex præcepto fieri debet in hostia majori & rotunda; attamen certò valet, imò & in defectu alterius licita est in non planè rotunda & minore, *March. Dian. p. 5. t. 13. R. 80. Gobat in Alph. com. cas. 2. n. 45.* modò absit scandalum, quod abesse potest, si Missa fiat privatim, aut populus instruatur de licentia, neque lex, ratio, aut consuetudo id verat. 4. Quamvis certò sufficiat panis triticeus, tam fermentatus, quam azymus, in Ecclesia tamen Latina sub



sub gravi præcepto adhibendus est azymus, in Græca fermentatus. *Conc. Florent. sup.* Græcus transiens per loca Latinorum, vel e contra Latinus per loca Græcorum, si ibi non habeatur templum sui ritus, potest in azymo & fermentato consecrare, quia potest, non autem tenetur se accommodare legibus loci, ut dixi *Cas. 6. n. 7. & 8.* Dico, transiens per loca; nam si Latinus (idem est de Græco respectu Latinorum) fixum inter Græcos habeat domicilium, ubi non est Ecclesia sui ritus, tenetur uti fermentato, quia tunc censetur pars populi Græci; si verò habeat Ecclesiam sui ritus, tenetur uti azymo, quia habet se quasi in sua patria, *Lugo, Sporer de Sacram. p. 2. c. 3. n. 149.* Fermentatum admittit Gobat pro dando viatico secluso scandalo, sed plerique contradicunt cum *Soto, Suar. Castrop. pun. 4. n. 5.* quia præceptum Divinum de dando viatico tunc non obligat, ut non obligat ad consecrandum sine sacris vestibus, idque testatur praxis Ecclesiæ; neque Sacramentum Eucharistiæ est ita necessarium, ut obinde universalis Ecclesiæ consuetudo violari debeat. 5. Materia certò inepta est panis confectus ex hordeo, avena, oriza, milio, pisce, fabis, amygdalis; item massa cruda non cocta, panis è farina triticea subacta ovis, melle, faecato, lacte, butyro, aquâ rosaceâ, oleo, cinnabare rubricata, vel alio liquore prædominante, quia hæc communi usu & opinione non veniunt nomine panis triticeï usualis. Materia dubia est, quæ fit ex amylo,

quod instar lactis ex tritico madefacto exprimitur, aut si tritico in æquali quantitate misceatur inepta materia, v. g. hordeum. Item panis è siligine vel spelta. Nec obstat, quòd spelta sit simillima tritico, aut siligo in terra sterili generetur ex tritico, vel in terra bona è siligine nascatur triticum; nam è tritico quandoque etiam nascitur avena vel lolium, aqua muratur in lapidem, semen in arborem, & tamen certum est hæc non esse ejusdem speciei, *Platel. Bonac. La Croix l. 6. p. 1. n. 421.* 6. Materia dubia sine gravissimo sacrilegio adhiberi non potest nequidem pro dando viatico, *Suar.* quia Sacramentum exponeretur periculo nullitatis, & viaticum non obligat, nisi quando reverenter dari & consecrari potest. De mutatione materiæ dixi *Cas. 88. a. n. 8.*

g. III. Solum vinum de vite, sive rubrum, sive album, est materia ca- 8.  
licis; unde ad consecrationem ineptus est omnis liquor à vino specie distinctus, ut 1. Acerum, vinum adustum, sicera, mullum, succus ex pomis, malogranatis, herbis, radicibus, aromatibus, frugibus, aut etiam ex uvis immaturis expressus, vinum pani imbibitum, item liquor adhuc in uvis etiam maturis existens, *Hannold. hic n. 794.* quia hæc non habent rationem potus, sed potiùs sunt cibus, idèoque in magna quantitate sumpta frangunt jejunium. 2. Vinum congelatum est materia valida, *Sot. Merat. Platel. Sangall. Metzger. d. 31. a. 1.* attamen illicita prima pars probatur, quia



quia vinum congelatum est substantialiter vinum, & Christus manet sub speciebus post consecrationem congelatis, teste Missali Romano, quod jubet eas liquefieri, & ut consecratas à Sacerdote sumi. Si dicas 1. Aqua congelata non est materia apta Baptismi. 2. Liquor uvæ maturæ inclusus non est materia valida, quia pro isto statu non est potabilis, etsi potabilis sit post expressionem: Atqui vinum congelatum etiam non est potabile pro isto statu, sed tantum post liquefactionem: Ergo. *Re. ad 1.* N. C. Baptismus essentialiter consistit in usu seu actuali ablutione, ideòque requirit materiam proximè aptam abluere, qualis non est aqua congelata; è contra Eucharistia est quid permanens, nec consistit in actuali potatione, adeòque non requirit materiam actu potabilem. *Ad 2.* Liquor uvæ inclusus adhuc est pars uvæ, & communi usu magis reputatur cibus quàm potus; quòd autem vinum congelatum sit materia illicita, docet communis contra *Merrat. & Semyei*, quia vel est materia dubia, ut vult *Platel*. vel potius quia ex consuetudine Ecclesiæ & Rubricis est graviter prohibita: proinde ante consecrationem liquefaciendum est in calice, non halitu, quod foret rusticismus, sed manu appressa calici, vel ad allatum ignem. 3. Mustum seu vinum ex maturis uvis expressum est materia certò sufficiens, sed extra necessitatem illicita ob irreverentiam propter fæces admixtas: in necessitate tamen pro viatico vel habenda

*R. D. Jansen Pars II.*

Missæ pro die festo, borus in calicem comprimi potest, *c. cum omne, dist. 2. de consec.* Sed quid si populus ex pia consuetudine velit primitias musti consecrari? *Re. cum Tann. Laym. Gobat n. 50.* id tolerari posse, saltem si absque offensa vel irritatione populi abrogari non possit. 4. Vinum ex uvis passis affusâ aquâ expressum, item notabiliter vappidum vel acescens, aut cui aqua vel alius liquor in simili vel majori quantitate est admixtus, est materia dubia, ideòque nec in necessitate adhiberi licita, ut suprâ dictum est de pane dubio. Ad vinum dubium refertur vinum Hispanicum, quod in his partibus vendi solet, quia plerumque est adulterinum, & confici solet ex hydro-melle. 5. Vino ex gravi præcepto Ecclesiæ miscendum est modicum aquæ, *Trid. Sess. 22. c. 7.* tum quia Christus vino aquâ mixto usus fuit, tum in memoriam aquæ, quæ è latere Christi crucifixi fluxit cum sanguine. Hæc admixtio ita est necessaria, ut si aqua haberi non possit, in quovis casu potius abstinendum sit à celebrando, & Missæ ante oblationem, non post, abrumpenda, quàm consecrare sine aqua, *Suar. Spor. n. 161. La Croix n. 4381.* Sufficere autem unicam guttulam docet S. Thom. *a. 7. in corp.* Si oblitus fuisti aquam affundere, adhuc tenetis eam affundere ante consecrationem, & denuò calicem offerre, quia nihil consecrari debet, quod non fuerit oblatum; mixtio aquæ in ablutione est libera. An verò aqua affusa immediatè transeat in sanguinem, non facit ad praxin.

E

6, Sa-



13.

6. Sacerdos in Communione advertens se non adhibuisse debitam materiam, v.g. aquam vel siceram pro vino, debet illam speciem de novo offerre & consecrare, incipiendo consecrationem ab illis verbis: *Qui pridie*, si sit hostia; vel ab illis: *Simili modo*, si calix denuò sit consecrandus, quia id exigit integritas Sacrificii, juxta *D. Thom.* Utraque species de novo est consecranda, si absque turbatione fieri possit, quod etiam præscribunt Rubricæ, quæ juxta *Sennyei* hîc tantum sunt directivæ. Materiam quam Sacerdos habet in ore, debet deglutire, reliquæ affundatur tantum vini, ut certò prævaleat, præceptum Ecclesiæ de jejunio tunc non obligat, sed prævalet præceptum Divinum de integritate Sacrificii. Si priùs in Sacristia advertas unam speciem esse invalidè consecratam, omitenda est consecratio, *Suar.* idem dicit *Bonac.* si vinum valde diu & cum aliqua turbatione populi esset expectandum. 7. Si probabile sit in calice esse aquam, vel aliquid essenziale in forma esse omissum, repetenda est consecratio sub conditione, ut Sacrificium fiat certò integrum, & non exponatur adorationi materia fortè non consecrata, *S. Thom. Nugnus, Illf. n. 175.* Idem dicendum, si post consecrationem una species evanescat, rapiatur à vento, plene effundatur, veneno inficiatur, miraculosè & constanter mutetur v. g. in carnem. Ratio est, quia quamvis tunc Sacrificium fuerit integrum quoad consecrationem, non tamen quoad sumptionem: si nulla species esset validè consecrata, non potes de novo

consecrare, si non es jejunus, sed debes addere reliquas Orationes & abire, quia Sacrificium nequidem ex parte positum est. 8. Si incidat in calicem animal venenatum, quod sine infectione specierum extrahi possit, ut communiter potest aranea, extrahatur, lavetur, & lotio sumatur post calicem, & animalis combusti cineres jaciuntur in sacram piscinam. Idem dicendum de animali non venenoso, sed incuriente horrorem, ut vespa: quòd si animal venenatum species infecerit, effundantur species in alium calicem, & stupâ vel linteo excipiantur, stupa vel linteum exsiccatum exuratur, fiatque præviâ oblatione nova consecratio: si animal non est horribile, ut musca, sumatur cum speciebus: quid faciendum, si hostia cadat, vel calix effundatur, dicam *Cas. seq. n. 7.*

14.

QUÆR. IV. Quid circa intentionem consecrantis, præsentiam & determinationem materiæ? 15.

1. I. Circa intentionem tenenda sunt sequentia: 1. Sufficit intentio virtualis & exercita contenta in actionibus, quibus Sacerdos se lavat, induit, etsi ex toto distractus: de sufficiente intentione prudenter dubitari non potest, modò studiosè non excludatur; nimia cura rectæ intentionis scrupulos causat, & devotionem impedit, vide *Cas. 88. a. n. 15.* ubi etiam dixi de habente intentiones oppositas. *Scrupulosus* hîc maximè caveat à scrupulis, quia dat scandalum populo, turbat actionem divinissimam, non inhalet in hostiam, verba non altiùs proferat quam alia quæ secerò legit, quamvis ob stre-

pi-



- pitum non audiat; nil repetat, quia repetitio auget scrupulum; intentionem tempore consecrationis non renovet, hoc ipso quod timet, ne habeat, habet sufficientissimam; si timet, ne per *meum* intellexerit *suum*, nil repetat, quia certus est se non voluisse peccare mortaliter; apprehensiones nihil curandæ; si non recordetur se consecrâsse, non debet ex hoc turbari, inquit *S. Thom. q. 83. a. 6. ad 5.* sed pergere & supponere, se omnia rectè egisse, quia non solet errare, & ex communiter contingentibus prudens est præsumptio, *Passq. q. 317. n. 4.*
16. 2. Si quis consecret duas hostias, ratus esse unicam, aliqui dicunt anteriorem tantum consecrari, eò quod ad hanc solam se extendat intentio Sacerdotis; at probabilius consecratur utraque, quia Sacerdos intendit consecrare, quidquid consecrabile in manu habet, ideòque Rubrica jubet utramque simul sumere; si non esset consecrata, deberet sumi post sanguinem; frangeret enim jejunium.
17. 3. Hostiæ inscio Sacerdote sive in, sive extra corporale appositæ non consecrantur, quia Sacerdotis intentio non fertur ad incognitum; similiter guttæ quæ exterius, imò & interiùs calici separatim adhærent, probabilius non consecrantur, quia intentio Sacerdotis debet esse ad id, quod in calice est per modum unius continui, *Platel. Reding. Metzq. a. 4. n. 5.* In praxi guttæ ante consecrationem calicis cum toto miscantur; si verò sint remotè, abstergantur.
18. 4. Hostiæ pro populo consecrandæ

ex gravi causâ, ne scilicet populus sine Communionem dimitti debeat, admitti possunt usque ad consecrationem, factâ tamen saltem mentali oblatione, *Dian. Tamb. Gobat apud La Croix n. 460.* Quod si unus tantum veller communicare, Gavantus suadet ei porrigere particulam ex hostia majore. Si hostiæ ponantur extra corporale, & Sacerdos sciat eas debere consecrari, sed statim obliviscatur, ita ut pixidem non attingat vel detegat, consecratio juxta *Gobat* est dubia, juxta *Lessium* nulla, ideòque in praxi sub conditione repetenda, intellige in alia Missa, quia principali hostiâ validè consecratâ non est licitum bis eadem die consecrare, vel consecrare unam speciem sine alia; si verò hostiæ ponantur in corporali, & Sacerdos aliquid agat in ordine ad eas consecrandas, v. g. citius incipiat Sacrum, pixidem aperiat, quamvis in summa distractione, videtur certò valere consecratio, quia adest intentio virtualis. Pro majori securitate facienda est intentio parvas hostias offerendi & consecrandi, etsi fortè in oblatione & consecratione earum non recorderis, vel pixidem non aperias, tunc enim certa erit consecratio, *Tanner. Sennyei.*

19. II. Materia consecranda debet ita esse præsens, ut possit demonstrari per pronomina *hoc* & *hic* independenter ab alio signo sensibili, v. g. nutu; & quamvis remotissima speculativè demonstrari possint, ut cum dicitur: *Hoc cælum, hæc stella est lucida,* tamen id locum non habet in conse-



cratione, quæ efficit quod demonstrat, & est verum Sacrificium, in quo victima debet esse præsens & spiritualiter mactari. Unde inferes seqq. 1. Invalidè vel saltem dubiè consecrari hostiam sub mappa, post parietem, intra tabernaculum, cistam, vel à tergo positam, aut in Missali latentem; nam quamvis ejusmodi res forsan nutu vel alio signo sensibili valeant demonstrari; non tamen per sola pronomina *hoc & hic*. 2. Consecrari non potest materia valde remota, v. g. ad 100. vel 50. passus distans, quia etsi tunc possit videri, non tamen demonstrari per pronomina *hoc & hic*: intra quam verò distantiam valeat consecratio, est incertum. 3. Ut consecratio sit licita, debet materia consecranda esse præsens in corporali, & pixis vel ciborium, in quo sunt hostiæ consecrandæ, tempore consecrationis aperiri; quod si omittatur, nihilominus valet consecratio; quia hostiæ ratione corporis proximè continentis satis demonstrantur. Absurda est praxis eorum, qui os proximè admovent, ut anhalando halitum in panem & calicem inspirent. 4. Non potest validè consecrari materia admodum modica, ut nullo sensu percipi possit, quia non potest monstrari, nisi sit unita toti.

20. R. III. Materia consecranda debet esse certa & determinata ex intentione Ministri, hoc enim exigunt pronomina *hoc & hic*, & actiones præsertim effectivæ debent esse circa singularia certa & determinata. Unde deduces sequentia: 1. Invalida

& sacrilega est consecratio, si intendas tantum mediam vel tertiam partem unius vel plurium hostiarum, vel è pluribus tantum quatuor vel quinque consecrare, nullam designando, vel si intendas illam consecrare, quam Deus vel Titius determinabit. 2. Si una hostia non consecrata misceatur consecratis, ita ut discerni non possit, non videtur validè consecrari posse, sed tunc vel sumendæ sunt post ablutionem à Sacerdote, vel cuilibet communicanti dandæ sunt duæ, ut detur una certò consecrata, factâ tamen monitione, quòd liceat simul duas sumere, & ut non intendant adorare totum, sed tantum id, quod est consecratum. Quòd si plures non consecratæ sint mixtæ consecratis, juxta *Sennyei* debent consecrari sub conditione, juxta alios debent sumi paulatim à Sacerdote post sumptas species, quia non videntur posse consecrari, cum non possint discerni & determinari consecratæ à non consecratis.

QUÆR. V. Quid circa formam Eucharistiæ? 21.

R. seqq. 1. Forma respectu panis est: *Hoc est enim Corpus meum. Trid. sess. 13. c. 1.* ubi omnia sunt de essentia, præter *enim*: quod omittere probabiliter est tantum veniale. Omittere verba antecedentia: *Qui pridie*, est mortale, quia est mutatio accidentalis notabilis. 2. Forma respectu vini est: *Hic est enim calix Sanguinis mei novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Ubi quam-



quavis sola verba: *Hic est calix Sanguinis mei*, sint de essentia, ut habet communis cum Cajet. Jo. à S. Th. Contenson. Bonav. Suar. Scoto, contra Gonet & alios; omittere tamen subsequentia: *Novi & aeterni Testamenti*, &c. est peccatum mortale, quia forma vel redditur dubia, vel norabiliter mutatur. 3. Forma proferri debet in persona Christi non tantum recitative seu historice, referendo verba tanquam à Christo prolata, sed etiam significative & practice, volendo efficere & significare Corpus Christi, ita ut sensus sit: Hoc quod prolata forma erit præsens sub speciebus, est Corpus & Sanguis meus, ideoque tò *Hoc & Hic* non denotant panem neque species; falsum enim est, quòd panis vel accidentia sint Corpus Christi. 4. Qui loco *Hic*, vel *Hoc*, diceret *illud*, vel *istud*, vel *ecce Corpus meum*, hoc sit, vel fiat, vel significat Corpus meum, vel tò *Hic* accipiat adverbialiter, ut idem sit quod *in hoc loco*, aut per tò *Meum* intelligat cor-

pus, non Christi, sed suum Sacerdotis, peccat gravissime, & formam reddit nullam vel dubiam. 5. Si quis dicat, hic cibus, hæc res, hæc caro est corpus meum, hic potus, hic calix est sanguis meus, &c. vel utatur formâ descriptâ à S. Luca: *Hic est calix Novum Testamentum in Sanguine meo*; valet quidem consecratio, sed graviter peccatur contra præceptum & usum Ecclesiæ. 6. Gravem per se irreverentiam admittunt, qui in forma unum verbum bis terve repetunt, vel unam voculam diu post aliam recitant; quia inducitur novus ritus, & repræsenteretur Christus ridiculè loquens, & rubricæ jubent verba consecrationis distinctè, reverenter & secretò proferre; sæpè tamen excusat naturalis balbuties vel anxietas, quia scrupuli eos redigunt ad hanc parvam stultitiam, inquit Gobat Cas. 3. n. 94. An verò peccet mortaliter voluntariè sub consecratione distractus, dixi.

Cas. 88. n. 18.



## CASUS XCII.

De Ministro, subjecto & necessitate Eucharistiæ, eorumque dispositione,

**E**nius Parochus dubitat: 1. An possit extra Missam communicare se ipsum, vel per Diaconum. 2. An tempore pestis dare hostias laicis, quibus se vel alios communicent. 3. An Parocho invito vel inscio possit Parochianis

dare Communionem, & quid hinc possint Religiosi. 4. An Parochus teneatur suis dare Communionem quotidie & tempore pestis, & quid si sit excommunicatus, suspensus. 5. An Eucharistia dari vel ferri possit sine sacris vestibus, sine lumi-

E 3 ne,



ne, tecto capite, equitando, currendo. 6. An dari digitis non canonicis, an hostia in cochleari, cum jusclo, in paramentis nigris, die Veneris sancto. 7. Quid si ceciderit hostia, vel effundatur calix. 8. Quid de reliquiis repertis: quid de renovando ciborio vel monstrantia. 9. Quid si communicans hostiam reponat in strophio. 10. An Eucharistia sit necessaria necessitate medii. 11. An praecepi. 12. An danda infantibus, amentibus. 13. An agro usu rationis & sensibus destituito. 14. An semifatio, vomitivo, furioso. 15. Energumeno, surdo simul & muto. 16. An quotidie, an bis eodem die. 17. An in signum innocentiae. 18. An species vini, si ager hostiam deglutire non possit, an prima ablutio. 19. Quid de viatico. 20. An dandum agro, qui eodem vel alio die sanus communicavit. 21. Quid si post viaticum peccavit mortaliter: Incidat in novum periculum, vel negligatur. 22. An dandum reo statim occidendo, ebrio. 23. An pro viatico liceat consecrare extra Missam, in fermentato, sine Altari aut sacris vestibus. 24. An viaticum dari vel accipi possit ab excommunicato, consuetudinario. 25. Quid de Communionem Paschali, an servari possit in Ecclesia Regularium. 26. Quid de peregrinis, vagis, aut eunte extra Parochiam. 27. Quid de Religiosis, eorum servis, studiosis, Sacerdotibus, puerperis. 28. An impeditus praevenire vel ex post supplere debeat. 29. An satisfiat per Communionem sacrilegam. 30. Quid de eo, qui pensurâ vel carcere à Communionem impeditur. 31. Quae requiratur dispositio anima. 32. Quae causae excusent à confessione. 33. Quid si sub Sa-

crificio recordetur mortalis. 34. Vel in confessione unius fuit oblitus, aut certum dixit ut dubium, vel habeat peccatum reservatum. 35. An obligetur statim post Missam confiteri, qui sine confessione mortalis celebravit. 36. Quid si ex meramalitia confessionem omisit. 37. Quid si peccet sub Missa, vel tunc aut ex post recordetur peccati in confessione oblitus. 38. An ob sit pollutio vel actus conjugalis. 39. Quid de jejunio naturali & variis dubiis. 40. An incipiat à primo pulsu duodecime: quid si tunc bolus adhuc sit in ore: quid si sint horologia discrepantia. 41. Quid in dubio an sis jejunus. 42. Quae sint causae à jejunio excusantes. Pro Resolutione

QUÆR. I. Quis sit dispensator Eucharistiae? 1.

R. 1. Ex officio est solus Sacerdos, S. Thom. q. 82. a. 3. qui non tantum alios, sed & se ipsum extra Missam, si alius non adsit, communicare potest, Cajet. Suar. Coning. Salmant. Metzg. d. 34. a. 2. quia nulla lex id prohibet, & Sacerdos sic communicat die Veneris sancta. 2. Ex delegatione Episcopi vel Presbyteri Communionem ministrare potest Diaconus, Cont. Nicen. & Carthag. IV. c. 38. Imò in extrema necessitate, quando non adest Sacerdos, qui possit & velit, tenetur sub mortali viaticum dare moribundo, Bernal. d. 45. n. 34. Ratio est, quia licet potest juvare infirmum ob præsumptam Ecclesiae & Episcopi licentiam, ergo ex charitate ad hoc tenetur. 3. In extremo periculo, v. g. 2. tempore pestis, quando non adest Sacerdos vel Diaconus, qui possit & ve-



& velit Eucharistiam ministrare, probabile est laicum secluso scandalo eam in munda charta vel vitro ad ægrum ferre, sibi aut alteri dare posse, *Lezana, Chapeau. Marchant. Castropalao punct. 18. n. 8.* quia hoc Sacramentum est utilissimum, & tali periculo obligat ex jure Divino, causatque per accidens primam gratiam. Et c. *pervenit de consec. dist. 2.* id prohibens non loquitur de casu extremæ necessitatis, atque ita olim factum esse à viris sanctis, testatur *Enseb. lib. 6. histor. c. 36.* & Maria Suarta Regina Scotiae martyrio proxima se ipsam communicavit, obinde à nemine reprehensa. Accedit, quòd Parochi ex hac sententia possint in domo pestifera deponere plures hostias, quas peste inficiendi sumant in necessitate, ut sic Parochus præservetur à periculo ad Sacramenta magis necessaria ministranda, idque non est contra sed præter praxin Ecclesiæ, quia casus rarò accidit; nihilominus ob contrariam Ecclesiæ consuetudinem id à plerisque reprobatur, *Lugo, Henao, Verjays, Mendo d. 11. q. 2.* Nec Ecclesia censetur ad hoc dare jurisdictionem.

3. 4. Ut licitè ministretur Eucharistia, requiritur jurisdictio vel ordinaria, qualem habet Pastor, Episcopus, &c. vel delegata, *Clem. dudum de sepult. Clem. religiosi de privileg.* Ideoque invito Parocho aliquem in Parochia communicans peccat mortaliter contra jus Parochi, cujus est pascere oves suas. Sufficit tamen licentia rationaliter præsumpta. Hinc si quis sub tuo Sacro in Ecclesia aliena petat

Communione, non dubites de licentia, *Gob. tr. 4. n. 385. §.* Religiosi habent privilegium in suis Ecclesiis ministrandi Communione, ita tamen ut pro Communionem Paschali quemlibet remittant ad suam Parochiam, nec possint Eucharistiam deferre ad ægros nisi ex commissione Parochi, *Suar. Dian. p. 4. t. 4. R. 14.* Si hic absens sit, aut iniquè renuat, quilibet Sacerdos potest & tenetur extremè periclitanti dare viaticum, quia tunc jurisdictionem dat Ecclesia. 6. Parochus tenetur ex justitia 4. suis etiam ex mera devotione petentibus Sacramenta ministrare etiam quotidie, si rationabiliter petant; aliquando tamen ob reverentiam Sacramenti vel nimiam Ministri occupationem Communio poterit negari, modò fiat absque offensa & scandalo: peccat Pastor, qui se morosum aut difficilem exhibendo subditos à petendo absterret, hoc enim est virtualiter negare, *Suar. La Croix p. 1. n. 134.* Ad quid teneatur Pastor aliique Sacerdotes tempore pestis vel incursus hostium, dixi *Cas. 88. q. 6.* 7. Distribuens Communione extra extremam necessitatem in excommunicatione, vel suspensione, sit irregularis, quia exercet actum sui Ordinis in censura, quod *Aversa* extendit ad ferentem processionaliter Eucharistiam, vel benedicentem.

QUÆR. II. Quid circa ritus à Ministro adhibendos tam in danda Eucharistia, quàm in corrigendis defectibus?

§. 1. Communio & Viaticum dari de-



debet reverenter in superpelliceo & stola, vel in Alba & Stola cum lumine, præmisso Confiteor & Absolutione: omittere lumen, sacras vestes, est mortale, nisi excuset necessitas, qualis est, cum vestes sunt ablatae, vel Eucharistia per partes hæreticas aut per loca aspera vel prædonibus infesta, ut habet *Agenda Colon.* edita An. 1720. p. 77. clam in pixide, vel involuta corporali est portanda, *Bonac. d. 4. q. 5. p. 2.* Omisio omnis luminis juxta *Suar.* est mortale; si verò lumen extinguatur, & citò haberi non possit, vel si æger longè distet, aut Sacerdos tempore necessitatis currat sine lumine, sine nola, non peccat, charitas est, *March. Bonac. Gob. n. 506. § 407.* 2. Sine justa causa non debet viaticum ferri recto capite, quod esse potest gravis irreverentia, nisi excuset inclementia aëris, vel alia causa; omittere Confiteor vel similes ritus leves, est tantum veniale, & cum causa nullum. 3. Juxta plures potest Eucharistia deferri in equo mansuetto, modò non sit periculum lapsus, quare congruentius erit vehi curru. Parochus lassus non potest pixidem dare portandam laico, sed tunc expediet eam ex collo suspendere.

6. Probabile est, indice & pollice chiragrâ vel aliter impeditis Eucharistiam aliis digitis dari posse; quia quamvis soli primi digiti sint inuncti, tota tamen manus censetur consecrata, ad summum veniale est aliis digitis hostiam sine causa tangere, *Gob. n. 381.* Similiter probabile est dari posse hostiam cum vino vel juscule

in cochleari sumendam, si aliter deglutiri non possit, *Præp. Escob. Dian. Salmant. t. 4. c. 9. p. 2. n. 27.* Si æger Eucharistiam sumere non possit, non licet ad eum deferre, ut saltem pro consolatione adoret vel osculetur; id enim prohibuit Pius V. teste *Lugo. in resp. mor. l. 1. dub. 11.* 5. Si multi sint communicandi, seungi possunt pollex & digitus sinistrae, modò prius lambantur & abluantur, si digitis adhæreat saliva communicantium, decentius alio linteo quam purificatorio abstergantur. 6. In paramentis nigris non debet distribui Communio; *S. Cong. 22. Jan. 1701.* 7. Quamvis Ecclesia prohibeat dare Communionem die Veneris sanctâ, tamen hanc prohibitionem non extendi ad necessitatem, qua æger sine viatico esset moriturus, meritò docent *Suar. Jordan. La Croix n. 619.* 8. Si hostia cecidit, locus notetur strophiole & abluatur, ablutio mittatur in sacrarium; si ceciderit intra vestes, vel supra pectus nudum fœminæ, non ipse Sacerdos, sed ipsa vel alia mulier in sacrificia recipiat & manus lavet. Si ceciderit in barbam vel vestem, non opus est lotionem, *Tamb. La Croix n. 494.* Si minutissima pars ceciderit, adverteute solo Sacerdote, nec sine gravi scandalo aut populi turbatione quæri & repetiri possit, potest commendari Domino DEO. Si calix effundatur, sorbeatur quantum potest; quod sorberi sequit, linteo vel stupâ excipiat; si fuerit tabula vel lapis, locus abradatur; si mappa, pannus aut tapes, aliquoties la-



laveretur, abrasio & linteam postquam fuerint exsiccata, exurantur, & cineres mittantur in sacrarium. Idem dicendum de speciebus, quæ indigestæ per vomitum rejiciuntur: si bestia sumpsit S. Species, & non possit commodè occidi, permitti potest ut in bestia consumantur calore stomachi. Principaliora ex his ceremoniis omittere respectu calicis, est mortale, quia species imbibuntur, non item respectu hostiæ. 9. Sacerdos adhuc indutus S. vestibus potest reliquias sui Sacrificii in patena vel corporali repperas, etiam post horam, & sumprâ ablutione sumere. Imò si particulæ sivo sui, sive alterius Sacrificii commodè asservari non possint, potest eas Sacerdos sumere etiam post exutas factas vestes, *Dian. Sporer hic n. 477.* Integram tamen hostiam post ablutionem sumere non potest, quia usus Ecclesiæ solùm extenditur ad fragmenta, quæ unam tantùm Communionem constituent cum prius sumptis: si tamen una vel altera hostia ex tuo Sacrificio superesset, nec adsit Sacrarium, in quo commodè reponere possis, melius erit eam sumere, quàm irreverenter asservare, *Gob. Cas. 13. n. 10.* Si dubitetur, an hostia vel particulæ inventæ sint consecratæ, serventur post ablutionem sumendæ, *Bonac. Castropalao, Pasq. q. 316.* Si renovetur ciborium, quod singulis mensibus meritò fieri deberet, potest homo jejunus & dispositus, si opus est, 50. & plures hostias sumere; fragmenta sumat Sacerdos post sacras species, vel etiam post ablutionem, si eam jam

R. D. Jansen Pars II.

inadvertenter sumpsit, est enim una moraliter Communio, *Tamb. de Com. c. 2. n. 34.* Si renovanda est hostia in Monstrantia, binæ sunt consecrandæ, quia Sacerdos unam sumere debet de suo Sacrificio. 10. Si communicans hostiam reponat in strophium, non debet publicè argui, aut hostia coram aliis repeti; quia hoc esset eum infamare; fortè id facit ex conscientia erronea, quia recordatur peccati, aut se non esse jejunum, vel præsentir vomitum, &c. Debet tamen Sacerdos observare quis sit, quò eat, ut hostia occultè possit repeti, *Burghab. La Croix n. 504.*

QUÆR. III. Quæ sit necessitas & obligatio Eucharistiæ? 10.

1. Eucharistia non est necessaria necessitate mediæ, neque in re, neque in voto. Est communis cum *S. Thom. q. 65. a. 4.* Probatum, nam, primò non est necessaria in re suscepta, quia multi etiam adulti salvantur non susceptâ Eucharistiâ, ut si moriantur statim post Baptismum vel pœnitentiam ritè susceptam, moriuntur enim in gratia. Neque est necessaria in voto, quia ut aliquid propriè in voto sit necessarium, debet in re susceptum per se esse justificativum; aliàs impletio omnis præcepti dicitur necessaria in re vel voto; atqui Eucharistia non justificat per se, licèt quandoque per accidens, sicut & alia Sacramenta vivorum: Ergo.

2. II. Sumptio Eucharistiæ est baptizatis & adultis aliquoties per vitam necessaria necessitate præcepti Divini, *S. Thom. q. 80. a. 11.* Probatum

F ex



ex verbis Christi *Joan. 6. v. 54. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quæ verba propter gravis pœnæ comminationem indubiè habent vim præcepti, unde & *Trid. sess. 13. c. 2.* dicit, quòd Christus præceperit illius sumptione coli sui memoriam. Dixi: *Baptizatis & adultis;*

12. unde 1. Eucharistia dari non potest infidelibus vel catechumenis, quia Baptismus est janua reliquorum Sacramentorum, sine quo alia suscipi non possunt. *V. Cas. 88. n. 28.* 2. Parvuli usu rationis carentes (idem est de perpetuò amentibus) ad sumendam Eucharistiam non obligantur, *Trid. sess. 21. c. 4.* Et quamvis ipsis certò profit, causando augmentum gratiæ, & in primæva Ecclesia data fuerit, de facto tamen dari non debet ob contrariam Ecclesiæ consuetudinem, *D. Thom. q. 80. a. 9.* Postquam autem adepti sunt usum rationis, (quod in Germania plerumque contingit circa annum octavum vel nonum) admitti possunt & debent, modò *cognitionem & gustum hujus Sacramenti* habuerint, ut habet *Rituale Romanum.* In dubio sufficientis discretionis dari potest viaticum, idque probat *Agenda Colon. pag. 76.* Non tamen obligat, quia plena discretio est aliquid facti, quæ non præsumitur, idèoque libertas possidet contra legem. Judicare autem de sufficientia discretionis & instructionis pueri spectat ad Parochum vel

13. Confessarium. 3. Illis qui usum rationis habuerunt, nec sciuntur amississe in mortali, dandum est viaticum,

*S. Thom. q. 80. a. 9.* Catech. Rom. de *Euch. c. 11. n. 2.* & DD. communiter; præsertim si præviè petierint, & devotionem ad illud ostenderit, absitque periculum irreverentiæ. Imò *Gobat n. 135.* dicit, absolutè dari posse, quia censentur digni, & interpretativè præsumuntur petiisse. Nihilominus *Agenda Colon. pag. 78.* dicit, non convenire, ut detur ægro sensibus destituto, ita ut Sacramentum agnoscere non possit. 4. Semifatui & habentes debilem rationis usum obligantur 14. præcepto Communionis, si censentur capaces absolutionis, & absit periculum irreverentiæ, idèoque non tantum in articulo mortis & Paschate, sed juxta *Sanch. Illsung. Gobat. sup.* etiam sæpiùs per annum communicandi sunt, in his enim non est expectandus plenior rationis usus, sicut in parvulis. Dicta de semifatuis magis tenent de fatuis tempore lucidi intervalli. 5. Furioso, phrenetico, maniaco, si alligati soleant sumere cibum, etiam dari debet viaticum, quamvis blasphement, quia non sunt liberi, & censentur petiisse, dum erant sanæ mentis; si dubites, an reverenter suscipi sint, proba semel & iterum in hostia non consecrata, quam si reverenter suscipiant, da etiam consecratam. Idem faciendum est cum eo, qui est in periculo hostiam revomendi; si nihilominus S. Hostiam exspuat vel revomat, ita ut ab alio sumi non possit, non debet exuri; hoc enim foret grande sacrilegium, sed aquâ dissolvi, stupa aut linteo excipi, & stupa exsiccata comburi.



15. buri. 6. Energumenis etiam propter peccata prius commissa, obsecris post pœnitentiam sæpius dari potest communicatio, *Conc. Araus. 1. Can. 14.* quamvis dæmone impediente non possint dicere *Credo*, debet tamen abesse periculum irreverentiæ. 7. Surdo muto simul & cæco à nativitate Eucharistia dari non debet; quia non potest instrui, & habetur ut perpetuo amens: si tantum sit surdus & mutus, non autem cæcus, ita ut per nutus instrui, & hunc cibum à profano distinguere possit, debet dari communicatio, etiam sæpius pro ratione intelligentiæ, pietatis, modestiæ. *Laym. Castropalao punct. 10.* 8. Adultis ritè dispositis suadenda est frequens communicatio, an autem huic vel illi expediat communicatio quotidiana, judicabit confessarius ex speciali reverentiâ, devotione & profectu pœnitentis. Lege Decretum Inn. XI. de 12. Feb. 1679. quod exhibet *La Croix n. 665.* 9. Per se non licet communicare bis eodem die, *S. Thom. q. 80. a. 10. ad 4.* & colligitur ex praxi Ecclesiæ, & ex c. *sufficit de consec. dist. 1.* Dico per se, nam in Natali Domini permittitur Sacerdoti ter consecrare; & si quis sanus communicavit, & incidat in periculum mortis, potest probabiliter secundò communicare per modum viatici; item posset secundò sumi Eucharistia, si aliàs dehonorauda esset ab infidelibus. 10. Non potest suscipi aut dari communicatio in signum innocentie, præsertim cum execratione, ut si nocens sit, statim moriatur, *S. Thom. a. 6. ad 3.*

c. ex tuarum. de purg. Can. cum dilecti de purg. vulg. quia est superstitiosa Dei tentatio, nullibi enim promisit Deus sic punire reum, & datur anfa sacrilegè sumendi Eucharistiam. Censent tamen *Suar. Castropalao. Gob. n. 458.* permitti posse, ut communitur quis in testimonium innocentie absque execratione, v. g. filia innocens suspecta de furto, si idèd pax sit reddenda, & deponenda suspicio, sed & hoc meritò dissuadendum. 11. In Ecclesia Latina non licet laico dare species vini, nequidem pro viatico, casu quo hostiam deglutire non posset, meliùs tunc datur hostia vel ejus frustellum cum modico jusculo vel vino non consecrato; si tamen deficiente Sacerdote species vini essent convertendæ in acetum, vel dehonorauda ab hæreticis, possent sumi à laico, etiam non jejuno, quia sic magis consultitur reverentiæ Sacramenti, ita multis citatis *La Croix n. 509. & seq.* ubi cum Lugo dicit peccare mortaliter, si prima calicis ablutio, in qua mixta sunt guttæ sanguinis, detur laico, quia id est contra consuetudinem & præceptum Ecclesiæ; idèdque in die nativitatæ Dominicæ ejusmodi ablutio vel adhibenda pro aliis sacrificiis; vel guttæ purificatorio excipiendæ & exsiccaudæ sunt.

19. III. Præceptum Divinum sub mortali obligat omnes usum rationis habentes ad sumendam communionem in articulo mortis per modum viatici. Est communis & certa contra paucos apud *Mendo. diff. 11. q. 1.*



colligitur ex Conc. Nicæno *Can. de iis.* & Inn. IV. c. 4. *de myst. Miss.* ubi dicit: *Necessario sumendus est Agnus, ut à vastante angelo protegamur, neque exire possumus de Aegypto, nisi celebrando phase, Agnum Paschalem edimus.* Testatur etiam *Trid. sess. 13. c. 6.* hoc præceptum in multis Conciliis inveniri, & vetustissimo Ecclesiæ more observari. Pro praxi accipe

20. *seqq.* 1. Hoc præceptum non tantum obligat, quando mors ex morbo vel sententia iudicis certò instat, sed quodcumque est probabile periculum mortis, sive ex prælio vel conflictu, sive ex periculosa navigatione, itinere, puerperio, nisi ante tres vel quatuor dies, vel etiam ipso die sanus communicasset; hæc enim Communio ex praxi Ecclesiæ interpretativè habetur pro viatico, & reverà præparat ad sælicem vitæ exitum, qui est finis viatici. *Suar. Henno. Budad. Illsung. Dicast. d. 10. Metzger. d. 33. a. 1.*

21. 2. Si æger sumpto viatico peccavit mortaliter, consultum quidem est, ut præter confessionem de novo communicet, (modò non fiat eodem die, id enim prohibet Ecclesiæ) ad hoc tamen non tenetur; quia præceptum non obligat nisi ad unum eodem morbo viaticum, *Henno.* Econtra si plenè morbum vel periculum evasit, & diu post iterum reincidat, denuò tenetur ad viaticum, quia distinctum & novum periculum requirit novum viaticum.

3. Qui prævidet se in mortis periculo viaticum suscipere non posse, tenetur prævenire, quia periculum proxi-

mè prævisum moraliter imminet. Econtra qui in periculo omisit communionem, non tenetur ex post supplere, quia viaticum est alligatum periculo. *Lugo. Metzger. l. c.*

4. Judex tenetur reo permittere spatium communicandi, nisi obstat periculum fugæ vel seditionis, tunc enim prævalet bonum commune. *Fagn. Fagund.* Dari potest reo eodem die vel post horam occidendo, aut etiam ægro statim morituro, præstat sacras species consumi in corpore mortuo, quàm hominem mori sine viatico, *Dicast. d. 9. n. 341.*

5. Ebrius non est dandum viaticum, si constet ebrietatem fuisse voluntariam, de quo si dubium sit, dandum est, modò absit periculum irreverentiæ, & inebriare se non sit solitus, tunc enim præsumitur ebrietas esse involuntaria, *Gobat. La Croix n. 609.*

6. Non est licitum Sacerdoti consecrare extra Missam absque altari, vel in fermentato, aut absque S. vestibus etiam pro dando viatico, quia quamvis præceptum de viatico sit divinum, tamen non obligat, nisi quando reverenter & cum principalibus Ecclesiæ cæremoniis observari potest, ut habet communis. Valde tamen probabile est, Sacerdotem non jejunum pro consecrando viatico celebrare posse, quia Ecclesiæ id faciliùs permittit, ut dicam q. seq.

7. Viaticum potest & debet peti ab excommunicato etiam non tolerato, si ab alio haberi non possit, quia pia mater Ecclesiæ præsumitur in tali necessitate hoc permittere, *Verj. t. 8. n. 16.*

22.

23.

24.



25. a. 16. 8. In tali necessitate si alius non adfit, potest Sacerdos & diaconus se ipsum communicare; an autem id etiam possit laicus, dixi q. 1. 9. Viaticum nulli etiam excommunicato, publico peccatori vel consuetudinario negandum est, modò verè pœnitnerit, C. quod in te 11. de pœn. & remiss. 10. Moribundus in Paschate negligens viaticum duplex mortale committit, quia utriusque præcepti distinctus est finis viatici, ut se muniat pro fœlicis transitu ex hoc ad alteram vitam in Paschate, ut cum tota Ecclesia faciat commemorationem ultimæ Cœnæ & passionis Dominicæ.

25. R. IV. Circa Communionem Paschalem tenenda sunt seqq. 1. Hoc præceptum habetur C. omnis utriusque de pœn. & remiss. Trid. sess. 13. de Euch. c. 9. Est quoad substantiam divinum, quoad determinationem temporis ecclesiasticum, obligatq; omnes fideles usum rationis habentes intra 15. dies à dominica Palmarum ad dominicam in Albis inclusivè. Potest tamen hoc tempus non tantùm ordinarius sed & Parochus ex justa causa extendere, d. e. omnis utriusque. 2. Communio Paschalis sumi debet in Parochia propria domicilii vel quasi domicilii, qui sine licentia parochi ordinarii vel Papæ alibi, v. g. in Ecclesia Regularium communicat, non satisfacit. S. Congreg. de 31. Jan. 1682. quæ etiam prohibet, ne Regulares ipsa die Paschatis in suis Ecclesiis Communionem distribuant; si tamen aliquis ad pedem Altaris Communionem petat,

non facillè debet repelli, sed moneri, quòd per eam Communionem non satisfaciat præcepto; sic enim impletur finis prohibitionis, qui est, ut oves recognoscant suum Pastorem. Similiter non satisfacit communicando in Ecclesia Cathedrali, neque ad hoc licentiam dare potest Archipresbyter, nisi ita habeat consuetudo, Pignat. 1. 7. quia licet Ecclesia Cathedralis sit superior, tamen singuli parochi & parochiæ habent sua jura, non minùs quàm singulæ dioceses. Gobat dicit, non peccare, qui semel servat Pascha extra Parochiam, si sæpiùs per annum soleat communicare, quia tunc parochus præsumitur consentire, sed non facillè præsumi debet consensus, si parochus adiri possit, si non possit adiri, ex se cessat obligatio. 3. Peregrini & vagi possunt communicare, 26. ubi volunt, quia parochi censentur consentire, idque certum esse dicit Tamb. c. 4. n. 4. quia cum alibi non acquirant quasi domicilium, non fiunt his parochis subditi. Nec obstat, quòd Eug. IV. peregrinis concesserit quasi incolatum in locis, ubi degunt, nam hoc est in gratiam eorum, qui suo privilegio uti non tenentur. Dices: Ergo qui instante Paschate exit è Parochia, non rediturus nisi post Pascha, non tenebitur in Parochia Communionem prævenire, neque licentiam petere alibi Pascha servandi, quia hoc ipso quòd alibi existat, est peregrinus, & potest servare Pascha ubi vult, atqui hoc est absurdum, ergo. R. N. Min. Id non est absurdum saltè



- si non exeat in fraudem legis. Vid.
27. *Cas. 6. n. 15.* 4. Religiosi satisfaciunt in suis monasteriis communicando, idem famulis commensalibus mendicantium & participantium concessit Leo X. Bulla: *Dum intra. Henno 9. 2.* Gobat & La Croix dicunt, studiosos Jesuitarum & Seminaristas saltem ex conniventia parochorum & Episcoporum satisfacere posse in eorum Ecclesiis. Si verò Parochi contradicant, mittendi sunt ad parochiam, in qua habent quasi domicilium. 5. Sacerdotes sæculares ex consuetudine satisfaciunt ubique celebrando; si tamen communicent ut laici, tenentur communicare in parochia ut laici. 6. Puerperæ necdum introductæ in ecclesiam debent communicare domi, vel cum consensu Parochi differre Communionem post Pascha. 7. Ecclesia præcipit Communionem *intra annum, idque circa festum Pasche.* Unde præceptum est virtualiter duplex, unum communicandi in Paschate, & aliud non differendi ultra annum Communionem, ita tamen ut qui communicat in Paschate, satisfaciat utrique præcepto: qui prævidet se non posse in parochia communicare ultimâ hebdomade, debet prævenire in prima, quia tunc currit tempus præcepti: qui prævidet se non posse toto tempore Paschali, adhuc debet prævenire, si existat in Parochia, quia Communionem non est annexa tempori Paschali, sicut obligatio orandi Horas est annexa diei, ut volunt *Steph. Henno, Dian.* Sed tempus Paschale statuitur
- 28.

ad urgendam, non ad terminandam obligationem, ut patet ex verbis præcepti: *Intra annum, idque circa festum Pasche.* Et probatur à pari; nam si voveas jejunare, aut debeas solvere mutuum *intra annum, idque circa Pascha,* si non possis jejunare vel solvere in Paschate, debes proximior tempore. Ergo similiter si neglexisti communicare in Paschate, teneris supplere ex post; idque certum est si toto anno non communicasti, quia præceptum est virtualiter duplex, & nequidem satisfacisti quoad tempus annum, *Carden. Metzger, Plat. a. n. 430.* 8. Non satisfieri præcepto per Communionem sacrilegam certum est ex Proposit. 25. damnata ab Innoc. XI. *Præcepto Communionis annuæ satisfi per sacrilegam Domini manducationem.* Idque verum est, etsi Communionem sit tantum materialiter sacrilega; nam quamvis tunc communicans non peccaverit, tamen etiam fructum Communionis non percepit, quod præcipue intendit Christus & Ecclesia; & licet finis legis plerumque non cadat sub præcepto, ut habet commune axioma, cadere tamen potest, si à legislatore præcipiatur, & fiat materia legis, quod tunc fit, quando in ipso præcepto indicatur finis legis, uti hîc, ubi Sacramentum hoc dicitur esse cibus & vita animæ, qualis non est, si sit absque fructu, *Plat. n. 438.* 9. An censurâ, carcere, vel aliter à Communionem Paschali impeditur teneatur procurare absolutionem vel liberationem, dixi *Cas. 6. n. 18.*

QUÆR. IV. Quid circa dispositio-

31.



sitionem requisitam ex parte animæ?

32. *Re.* Seqq. 1. Tam in consecrante, quam communicante requiritur status gratiæ, & si in mortali sit, requiritur sub mortali prævia confessio; nec sufficit conteri, nisi urgeat necessitas celebrandi vel communicandi, & non sit copia Confessarii, *Trid. sess. 13. c. 7.* Quod fundatur in Apostolo, dicente: *Probet autem se ipsum homo, &c.* An autem hoc præceptum sit Divinum, ut habet communior, vel Ecclesiasticum, parum refert ad praxin. 2. Ut præceptum confessionis non obliget, duo requiruntur, nempe ut desit copia Confessarii, & quòd sit necessitas communicandi vel celebrandi; sufficit autem Confessarius quilibet approbatus, etsi non ad sit tuus ordinarius, vel quem tu velles; si tamen attentâ viâ distantia, auræ inclementiâ, itineris difficultate, temporis brevitate, corporis debilitate, Confessarius absque gravi incommodo adiri non possit, habetur pro absente, *Vasq. Bonac. Spor. Castropalao punct. 12. n. 6.* Urgens autem necessitas tunc est, quandocunq̄e Missa vel Communio absque gravi scandalo, ignominia, offensa & dicteriis populi in Sacerdote omitti non potest, *Scot. Vasq. d. 108. c. 1.* Ut si Pastor ex officio debeat dicere Missam die Dominico vel festo, aut stante funere, vel pro benedicendis nuptiis: item probabiliter excusat necessitas dandi viatici, *Valent. Coning, Suar. d. 66. sect. 4.* quia sicut Sacerdos non habens Confessarium posset præmissâ contritione sibi

consecrare viaticum, sic & alteri. Probabilius tamen non sufficit obligatio communionis annuæ, vel si Sacerdos vel alius non possit audire Missam, nisi celebret, quia hæc præcepta non obligant, si non possint impleri convenienter juri Divino. Si quis ab aliis rogetur, ut legat, & sine suspicionem peccati vel scandalo negare non possit, deberet legere. *Scotus in 4. d. 9. Gobat. n. 156.* Deinde non excusat onus Capellaniæ, vori, oblatio stipendii, aut paupertas Sacerdotis, nisi valdè gravis, quæ aliter sublevari non possit. 3. Si Sacerdos sub sacrificio recorderetur mortalis ante consecrationem, juxta *Steph. à S. Paulo Nav. Dian.* tenetur advocare Confessarium vel à sacrificio cessare, *Suar. sup.* quod verum est, si Confessarius sine nota infamiæ, vel suspicionem gravis peccati advocari possit, ut in Missa solenni sub cantu vel concione; secus sufficiet elicere contritionem, quæ semper elicenda est in casu, quo in mortali constitutus confiteri non potest; si sub Sacro conteri non possis ob turbationem, quod vix contingere potest, vel recorderis te non esse jejunum, non simula deliquium, quia id facilè adverteretur, neque fictè consecra, quia facis alios adorare merum panem, quod foret idololatria, sed elice quantum potes dolorem, & perge in nomine Domini. Idem tenet de laïco, qui in scamno communicantium recordatus mortalis absque infamia recedere non potest. *Nav. Lug. n. 12.* 4. Si confessus es, sed inculpabiliter oblitus unius mortalis, teneris illud præviè

con-



confiteri, aliàs celebras vel communicas conscius peccati mortalis non confessi, quod est contra præceptum, *Trid. Suar. Lug. Castropalao p. 12. n. 4.* oppositam *Moya* vocat improbabilem. Similiter si confessus es peccatum ut dubium, & postea cognoscas esse certum, probabiliter non teneris illud ante Communionem confiteri ut certum, quia ab illo directè es absolutus, V. *Cas. 97. n. 27.* ubi plura dicam de peccatis positivè vel negativè dubiis. 5. Si habeas peccatum confessario præsentis reservatum, juxta *Tolet. l. 6. c. 11.* potes in necessitate contritus celebrare. Sed communior cum *Coning, Castropalao l. c. Lugo f. 5.* docet, teneri confiteri saltem non reservata, ut sic indirectè absolvaris etiam à reservato. 6. Si non possis confiteri, nec commodè Sacrum omittere, ede vel bibe aliquid coram aliis, quasi inadvertenter, & excusa te ob defectum jejunii. 7. *Trid. sess. 13. c. 6. 7.* sic habet: *Quòd si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur; quòd autem hæc verba non contineant nudum consilium, sed præceptum, certum est ex Prop. 38. ab Alex. VII. damnata: Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum; ideoque obligantur sic sacrificantes quamprimum confiteri, hoc est tertio saltem die post istam Missam, modò confessarium habeant, ut declaravit S. Congreg. idque sub mortali, quia materia est*

gravis & multum conducens ad reverentiam Sacramenti. Hoc præcepto non obligantur laici, neque Sacerdos in mortali communicans, quia *Trid.* solùm loquitur de Sacerdote sacrificante. 8. Sacerdos, qui habet confessarium, & tamen sine confessione in mortali sacrificat, juxta plures apud *Moya, La Croix, &c.* probabiliter non tenetur præcepto statim confitendi, quia *Trid.* tantùm loquitur de eo, qui necessitate urgente celebrat in mortali, & odiosa non sunt extendenda; at probabilius est oppositum; quia *Trid.* non supposuit tantam fore malitiam Sacerdotis, quæ si adsit, intentio *Trid.* videtur esse, ut saltem statim post Missam confiteatur. 9. Si quis in confessione oblitus est mortalis, cujus ante consecrationem recordatur, non tenetur elicere dolorem, quia peccatum jam indirectè remissum est per confessionem aliorum, tenetur tamen talis præcepto statim confitendi, quia reverà celebravit conscius peccati mortalis non confessi, idem est de eo, qui sub Missa mortaliter peccat, *Lug. n. 151. cont. Suar.* Econtra si quis primò post Missam recordetur peccati, valdè probabile est eum non teneri confiteri, quia non celebravit memor peccati. 10. Ut quis dignè celebret vel communicet, accipiatque effectum primacium Eucharistiæ, scilicet augmentum gratiæ & charitatis, non requiritur, ut penitentia à Confessario imposita jam sit impleta, neque requiritur devotio actualis aut immunitas ab  
omni



omni peccato veniali etiam actuali, *S. Thom. q. 79. a. 8. Soto, Vasq. Suar. d. 63. f. 3.* Ratio est, quia peccatum veniale neque gratiæ, neque ejus augmento repugnat; impedit tamen effectum secundarium, scilicet suavitatem & fervorem charitatis, & multa auxilia actualia, idedque devotio actualis præsertim per actus fidei, spei &c. est longè utilissima, semperque meritò adhibenda cum retractatione saltem virtuali omnium venialium. 11. An liceat petere Communionem à ministro indigno, dixi *Cas. 88. q. 7.* An liceat dare indigno, *ibid. q. 9.*

QUÆR. V. Quid circa dispositionem corporis?

38. R. I. Nulla macula corporis per se impedit Communionem; neque pollutio involuntaria vel etiam voluntaria per pœnitentiam expiata; si tamen post se relinquat malignos effectus turpis commotionis, imaginationis, turbationis, torporis &c. consultum erit à Communionem abstinere, nisi urgeat communicandi aut sacrificandi præceptum vel necessitas; idem dicendum de opere conjugali, præsertim ex mera voluptate exercito. *S. Thom. a. 7. & communis DD.*

39. R. II. Præcipua corporis dispositio hic requisita est jejunium naturale præceptum à Conc. Carthag. III. Tolet. VII. can. 1. consistitque in abstinentia ab omni prorsus cibo & potu, ita ut nihil convertibile in substantiam hominis, ab extrinseco demissum sit in stomachum actione comestiva vel potativa. Unde

R. D. Jansen *Part II.*

*Infer. 1.* Hoc jejunium frangi per rem minimam, non enim hic datur parvitas materiæ. Ratio est, quia non prohibetur cibus & potus, sed prohibetur Communionem post cibum & potum, quæ semper est quid grave; sic enim habet d. Conc. *Nullus post cibum vel potum quemlibet minimum Missas faciat.* 2. Si quis lavans os, casu deglutiat stillam aquæ vel vini, juxta rubricas non frangit jejunium, quia non sumitur per modum cibi, sed salivæ, cui inseparabiliter est annexa, idedque plures apud *Averf. q. 8. f. 8. §. 5.* non improbabiler dicunt, non frangi, etiamsi advertenter trajiciatur. 3. Res non convertibiles in substantiam hominis, ut capilli, fragmenta metalli, plumbi, vitri, fila serica, lana, lignum durum, &c. non obsunt huic jejunio. Econtra obsunt convertibilia, ut filum è lino paleæ, charta, corium, carbones, cera, creta, terra, pulveres ex ossibus vel lapidibus &c. quia experientia constat hæc per stomachum alterari. 4. Ut quid solvat jejunium, debet sumi ab extrinseco, ut si sanguis sugatur ex digito, & deglutitur, non verò si sanguis, saliva vel humor defluat è cerebro, vel ex pustula in ore rupta, neque reliquiæ ciborum hærentes intra dentes, etsi meliùs exspuantur, si tamen studio glutiantur, probabiliter jejunium non solvunt, nisi essent notabiles, *Suar. Sporer, La Croix n. 567.* quia glutiantur per modum salivæ, & non veniunt jam ab extrinseco, sed sunt pars cœnæ præcedentis.

G Aliud



Aliud est de eo, qui vespere saccarum, glycirrhizum &c. ori imponit, paulatim liquandum & deglutendum; quia communi iudicio censetur continuata comestio, idèdque si post duodecimam noctis aliquid deglutatur, solvit jejunium. *Vasq. Coning, Suar. sup.* quod etiam verum est, si potus tibi per vim infundatur, quia adhuc eum trajicis actione vitali & potativâ; secus si violenter per fistulam infunderetur, *Gob. n. 264. 5.* Debet quid sumi actione comestivâ, qualis non est, si per modum respirationis, vel aëris trajiciantur muscæ, vapores cibi, pulvis vel fumus tabaci, quod ultimum tamen multis videtur esse contra reverentiam, & juxta *Lezan.* frangit jejunium, maximè si tabacum masticetur & succus defluat, quamvis & tunc excusent *Lug. Sporer n. 467.* Faciliùs excusarem eos, qui tempore contagionis aroma præservans ore circumferunt, etiamsi fortè quid minimum salivæ mixtum præter intentionem defluat; si enim dum os lavatur, stilla casu defluens jejunio non obstat, cur obstat stilla aromatis? Et certò magis hîc de pio Matris Ecclesiæ consensu præsumi potest, quàm in casu priore. 6. Jejunium hoc incipit per se à duodecima noctis, & probabiliùs à primo pulsu, quia tunc volvitur rota index temporis, si audito primo pulsu adhuc habeas cibos in ore, juxta *Gob. Sporer n. 472.* potes deglutire, tum quia sunt pars cœnæ præteritæ, sicut caro hærens intra dentes, quæ propterea post

duodecimam deglutiri potest, tum quia bolus in ore consistens jam non sumitur ab extrinseco, nec videtur Ecclesia ad inurbanitatem exspuendi velle obligare. Hæc sententia est in praxi tuta etiam ex hoc, quòd probabile est per ultimum pulsum prius finiri horam Ecclesiasticam; probabiliùs tamen est, quòd audito primo pulsu bolus debeat exspui, sicut exspui debet saccarum ante duodecimam ori impositum, ut pro certo habeant omnes, aliàs non manebit jejunus. Si in urbe plura sint horologia communiter benè directæ, potes sequi quod voles, quia quodlibet habet se ut doctor probabilis. Non tamen licet sequi simul duo contraria cum certa violatione alicujus legis, ut probavi *Cas. 3. n. 21. Si dicas:* Duo horologia discrepantia habent se sicut duo testes, qui de eodem facto testantur opposita: atqui testimonia opposita in quæstione facti non gignunt probabilitatem, sed purum dubium, adeoque tali tempore intermedio debet se homo gerere quasi nullum esset horologium. Ita *Oviedo. 31.* Quando uterque testis oppositus dicit rem à se visam, non gignunt probabilitatem, sed testimonium unius elidit alterius, & certum est unum loqui falsum, ut si unus dicat se Petrum horâ primâ vidisse domi, alter dicat se eum vidisse in foro. Aliud est si dicta testium non sint directè opposita, aut uterque testetur aliquid esse probabile uti hîc. 7. In dubio an aliquid sumperis, habes jus communicandi, *Herinx, Bardi, Dicast. Bosco,*



*Bosco, Bernal d. 43. n. 12. Spor. n. 424. La Croix n. 576. Viva. op. 2. q. 4. ault.*  
 Ratio est, quia ante illud dubium certus eras te nihil sumpsisse, ideoque habebas certum jus communicandi, quo privari non debes per superveniens dubium de comestione, sicut non debes privari agro possessio ob superveniens dubium de proprietate; nam libertas hic possidet, & melior est conditio possidentis etiam extra materiam iustitiae, ut probavi *Cas. 2. n. 5.* Deinde comestio est quid facti, quod in dubio non praesumitur, sicut in dubio non praesumitur aetas sufficiens ad Ordines. Si vero certus es te aliquid sumpsisse, sed dubitas an post duodecimam noctis, non licet communicare, quia sumptio est in possessione, & praxis Ecclesiae, quae est optima legum interpretis, est contraria; & certe quis dicit te habere jus communicandi, si evigilans nocte bibas nescius quâ horâ? Si tamen habeas rationem probabilem, quod sumptio sit facta ante duodecimam, adhuc licebit communicare, juxta dicta *Cas. 3. n. 11.*  
*Dices:* In dubio an quid sumpseris, lex est in possessione; quia certum est quod volens communicare obligetur jejunare; ergo tuum est probare quod sis jejunus. 2. In dubio an satisfeceris voto vel debito, debes probare te satisfecisse; ergo & hic debes probare te esse jejunum. 3. In dubio an habeas aetatem requisitam ad Ordines, debes ab iis abstinere, ut habet communis; ergo & in dubio an sis jejunus, abstinere à Com-

munionem. *32. ad 1. N. Ass.* Jejunium est qualitas negativa consistens in non sumptione ullius cibi; qualitas autem negativa non est semper necessario probanda, ut patet in legato dando virgini *honestae & consanguineae*, ubi probanda est consanguinitas utpotè conditio positiva, non verò honestas seu carentia delicti, sed hæc praesumitur, usque dum probetur contrarium. *Ad 2. N. C.* Nam votum & debitum est certum, ut suppono, solutio autem incerta, ideoque lex solvendi est in certa possessione. Econtra in dubio, an quid sumpserim, ipsum jejunium & per consequens jus communicandi est in possessione; ante dubium enim de facta comestione certus eram de jejunio, quæ certitudo per dubiam comestionem non eliditur. *Ad 3. N. C.* Aetas est qualitas positiva, quæ probari debet, non verò jejunium.

QUÆR. VI. Quæ sint causæ à jejunio excusantes?

*32.* Sunt præcipuè duæ: Integritas 42. Sacrificii & necessitas. *Ratione integritatis excusatur 1. Sacerdos*, qui post unius vel utriusque speciei consecrationem recordatur se non esse jejunum, ideoque tunc debet pergere & complere Sacrificium. Si advertat ante consecrationem, & celebret in loco publico, similiter poterit pergere, si in loco privato, ubi sine scandalo & ignominia recedere potest. *D. Thom. q. 83. a. 6. ad 3.* consultit Missam abrumpere, idem dicendum de communicaturo, si in scamno communicantium recorde-



tur se non esse jejunum. 2. Si Sacerdos post consecrationem deficiat, debet alius Sacerdos etiam non jejunus in defectu alterius Sacrificium complere, *Laym. hic c. 6. n. 22.* 3. Si in sumptione advertas loco vini aquam fuisse affusam, non licet aquam, quam in ore habes, exspuere, ne simul exspuas particulam hostiæ consecratæ, sed oportet eam deglutire, & reliquæ adhuc in calice existenti tantum vini affundere, ut certò sufficiat, & factâ oblatione de novo consecrare. Qualiter liceat sumere reliquias sui vel alterius Sacrificii post ablationem, dixi sup. n. 8. Item n. 18. dixi, licere laico etiam non jejunato in defectu Sacerdotis sumere hostiam vel S. Sanguinem aliàs per incurrentes hæreticos dehonorandum. *Ratione necessitatis excusatur*  
 1. Parochus, si die Dominico aut festo, vel stante funere, aut in benedictione nuptiarum &c. Sacrum omittere non possit sine obmurmuratione populi, sine disteriis & suspicionibus in Sacerdotes, &c. tunc poterit celebrare, sive sit cum, sive sine sua culpa non jejunus, aut etiam jam Sacrum oculo legerit, *Suar. Sennyei q. 516. Tanner. d. 5. q. 8. n. 41.* quia tunc lex de vitando scandalo prævalet legi Ecclesiæ de jejunio.

2. Egrotto non valenti sine amissione virium jejunare, indies dari potest Communio, etiam vesperi, nec tenetur Sacerdos mediâ nocte surgere, ut infirmum inveniat jejunum, *Castropalao, Laym. Lugo d. 15. Gobat t. 4. n. 317.* Ratio est benignitas Ecclesiæ, & Sacramenti utilitas. 3. Si desit hostia pro viatico morituri, non licet Sacerdoti non jejunato consecrare, ut habet communis cum *Lug. Dicast. Herinx, Henao d. 14.* quia consuetudo optima legum interpretes id non permittit, sicut tunc non permittit consecrare in fermentato vel sine altari. Nihilominus oppositum etiam est probabile, *Tamb. c. 2. §. 8. Barb. de pot. Paroch. c. 20. n. 4.* Quia alia præcepta Ecclesiastica in tali casu cessant per epekeiam, ut præceptum non celebrandi sine prævia confessione, sine ministris, non qualibet hora, non bis eodem die, non absolvendi à reservatis: ergo & hic cessabit præceptum jejunii. Deinde æger non jejunus licet sumit viaticum, ut omnes fatentur: ergo & Sacerdos non jejunus licet conficit, sicut conficere potest non jejunus pro se post horam accidendo, neque satis constat contrariam consuetudinem hic esse præceptivam.





## CASUS XCIII.

## De Eucharistia ut est Sacrificium.

**F**abius Theologus interrogatur: 1. An Missa sit verum Sacrificium, & in quo consistat. 2. Quis & quotuplex sit ejus fructus, an infinitus. 3. Pro quibus offerri possit. 4. An & quando applicari. 5. An sufficiat intentio habitualis, indeterminata, conditionata. 6. Quid si applicetur incapaci, vel de eo dubietur. 7. Vel intentio mutetur, vel mandato Superioris sit contraria. 8. An fructus possint dividi. 9. Quid si applices alicui tanquam mortuo, qui adhuc vivit, vel contra. 10. An per applicationem probabilem satisfiat. 11. Cui applicanda Missa in die animarum, vel imposta neo - presbyteris. 12. An & quoties Parochus obligetur Missam suis applicare. 13. Quid circa onera Missarum recipienda vel reducenda. 14. An Ecclesia, collector stipendiorum, heres vel Sacerdos alteri Missas committens aliquid de stipendiis retinere possit. 15. An & qualiter adhuc annu per Episcopos vel Generales Ordinum reductio Missarum vel anniversariorum fieri possit. 16. Quid si fundatio ex toto perierit. 17. Quid si à diversis accepta sint stipendia, qualiter tunc facienda applicatio. 18. Quid sit & quantum esse debeat stipendium. 19. An duplex stipendium exigi pos-

sit, quia applicatur fructus specialissimus vel meritum operantis, indulgentia, vel plures collectæ, &c. 20. Quid si stipendia sint nimis tenuia, vel pecunia adulterina. 21. An omittere unam Missam gratis promissam vel stipendiatam sit mortale: an omitens debeat stipendia restituere, vel possit Missas neglectas supplere. 22. An debeat legi talis Missa, qualis petitur. 23. Quid si non servetur locus vel tempus. 24. An obligatus indies possit aliquoties omittere. 25. An obligatus omni die Foris & Sabbathi, teneatur repetere si omitteret, & an teneatur hebdomade sancta. 26. An obligationes possint preveniri. 27. Quid de eo qui obligatur, quoties salva honestate & devotione potest, quid si aegrotet. 28. Quid si scias te ex fundatione obligatum, sed nescias quoties, aut ad quam intentionem. 29. Quid si Missa in loco assignato commodè legi non possint. 30. An beneficiatus teneatur legere per se ipsum, saltem si beneficium requirat Sacerdotium & residentiam: & an sic obligatus teneatur Missas neglectas repetere. 31. An simplex Sacerdos teneatur aliquoties legere in anno, vel quando ipse aut populus Missam audire non potest. Pro Resolutione



x. QUÆR. I. An & quale sacrificium sit Missa?

Re. 1. Missa est verum novæ legis Sacrificium. Est de fide, *Trid. sess. 22. c. 1. de sacrif.* 2. Essentia hujus Sacrificii non consistit in oblatione panis, quia panis non dicitur propriè sacrificari, sed Christus; neque consistit in sumptione seu communionem, quia sumptio victimæ non est victimatio seu immolatio; sed in sola consecratione, *S. Thom. 3. p. q. 82. a. 4. ad 1.* Ratio est; quia per hanc solam vi verborum ponitur corpus sine sanguine, & e contra sanguis sine corpore, adedòque mysticè mactatur Christus, & repræsentatur perfectè immolatio crucis, quâ sanguis physicè separabatur à corpore. Unde sequitur, in die Veneris sancta non fieri Sacrificium, quia non fit consecratio. Congruentiam dat *S. Thom. q. 83.* quia eo die oblatum est Christus realiter & visibiliter, ideòque non congruit eo die illum offerri mysticè. 3. Principalis offerens & oblatum est Christus, nec differt Missa à sacrificio crucis nisi quoad modum offerendi, quorum unus est cruentus, alter mysticus; species secundùm multos sunt pars victimæ, quia victima per illas fit sensibilis. 4. Hoc Sacrificium continet eminentiori modo omnia sacrificia veteris Testamenti; nam quatenus offertur in laudem Dei, dicitur *Holocaustum seu Laventicum*; quatenus in gratiarum actionem, dicitur *Eucharisticum*; quatenus ad obrinenda Dei beneficia, dicitur *Impetratorium* seu Hostia

pacifica; quatenus satisfacit pro peccatis vivorum & mortuorum, *Satisfactorium*; quatenus tollit Dei indignationem, *Propitiatorium*. 5. Hoc Sacrificium etiam est Sacramentum, quia est signum sensibile practicum gratiæ. Item Testamentum, quia est authenticum instrumentum Divinæ voluntatis & repromissionis de danda vita æterna. 6. Consecratio utriusque speciei est de integritate Sacramenti, & præcepta à Christo Domino, ita ut quidem una species sine altera validè consecrari possit, non tamen licitè, nequidem ad dandum viaticum: nec in hoc dispensare potest Papa, ut habet *communis*. 7. Minister hujus Sacramenti est omnis & solus Sacerdos validè ordinatus, *Conc. Nic. I. c. 14. Trid. sess. 23. c. 1.*

QUÆR. II. Quis & quoruplex sit fructus hujus Sacrificii?

Re. 1. Fructus ex parte rei causata est quadruplex: *Meritorium*, consistens in augmento gratiæ sanctificantis, cujus capaces sunt soli in gratia constituti, quia augmentum vitæ spiritualis supponit vitam: *Impetratorium*, quo causantur beneficia naturalia & supernaturalia: *Propitiatorium*, quo dantur auxilia ad agendam pœnitentiam & tollendam Dei indignationem: *Satisfactorium*, quo satisfacit pro pœnis peccatorum. Hic fructus non prodest existentibus in mortali, quia pœna non remittitur nisi remissâ culpâ. De cætero omnes hos fructus, modò ex parte nostra non sit obstaculum, causari in-



infallibiliter, contra plures docet *La Croix l. 6. p. 2. n. 52.* idque secundum mensuram à Christo determinandam. *Pasq. hic q. 185.*

32. 2. Fructus ex parte participantium est triplex: Generalis, specialis & specialissimus; *Fructus generalis* est, qui ex intentione Ecclesie simul offerentis participatur ab omnibus fidelibus vivis & defunctis, estque semper idem, sive à multis participetur, sive à paucis, nec est in potestate Sacerdotis hunc fructum aliter applicate vel mutare, quia non provenit ex intentione Ministri, sed Ecclesie, etsi de hoc Sacerdos nil cogitet, peccaretque mortaliter, si ab hoc fructu aliquem vellet excludere. Est communis DD. *Specialis fructus* participatur ab iis, qui specialiter ad hoc officium concurrunt, assistendo, procurando, coofferendo, &c. qui plus concurrunt, plus participat, nec multitudo concurrentium vel coofferentium hunc fructum minuit, aliàs melius esset interesse Sacro, in quo sunt pauci, quod nemo dicit; hinc ille valor est quoad audientes & cooperantes infinitus, quia quilibet ita audit & offert Sacrum, & cuilibet ita prodest ac si solus offerret; Missa verò prout à Sacerdote applicatur, habet se per modum unius actionis pluribus terminis applicatæ, ideoque fructum finitum & divisibilem communicantis, *communis* contra *Steph. Gonet d. 11. a. 5.* quia aliàs Ecclesia non rectè præciperet uni soli applicate cum damno aliorum, nec communis usus applicaret uni deter-

minatè, ubi posset æqualiter prodesse pluribus. Ratio est voluntas Christi. Tertius fructus dicitur *specialissimus* & maximus, qui soli celebranti competit, nec potest alteri applicari, *Suar. d. 79. Lug. d. 21. f. 2.*

QUÆR. III. Pro quibus offerri possit?

33. *Potest* 1. Pro beatis ad impetrandam gloriam accidentalem, vel potius Deo in gratiarum actionem. 2. Pro defunctis in purgatorio, quibus prodest infallibiliter quoad satisfactionem, *Dicaft. Suar. f. 10.* 3. Pro infantibus baptizatis, qui licet non sint capaces satisfactionis, sunt tamen fructus impetrationis. 4. Pro adultis baptizatis justis & injustis. 5. Pro catechumenis, energumenis, quia nusquam reperiuntur exclusi. 6. Pro infidelibus, Turcis, Judæis, ut convertantur, *Suar. Sylv. Bellarm. Gonet, Salmant. Sporer n. 274.* quia id nullibi legitur prohibitum, & pro his oblatum est sacrificium crucis, & est actus charitatis sic eorum salutem procurare, & in Lege Veteri Judæi obtulerunt Sacrificia pro Rege Dario gentili, *L. 1. Esdra c. 6.* licetque offerre pro obtinenda pluvia, cur non pro conversione infidelium? 7. Non licet directè offerre pro excommunicatis non toleratis, quia Ecclesia prohibet cum his communicare præsertim in spiritualibus; aliud est de toleratis, cum quibus communicare permittit. 8. Pro damnatis non licet offerre sub mortali, quia id prohibetur *c. pro obeuntibus 21. caus. 13. q. 2.* & non potest iis prodesse. Idem vide-



detur de infantibus mortuis sine Baptismo. Econtra licebit offerre pro occiso in flagranti vel in duello, aut etiam pro suicida, modò statim non obierint, & non constet certò eos esse damnatos.

QUER. IV. Quid circa applicationem Sacrificii?

4. R. Tenenda esse seqq. 1. Applicatio fieri debet per Sacerdotem, quia Christus non applicat, sed hoc reliquit Ministro; qui si studio nulli applicare velit, quod stultum foret, fructus manet in thesauro Ecclesiæ; si id fiat ex incuria vel oblivione, probabilissimè applicatur ipsi Sacerdoti, qui semper censetur habere tacitam voluntatem tali casu sibi applicandi, *Laym. hic c. 2. n. 11.* idque certum erit, si Sacerdos aliquando expressè decreverit, in defectu alterius applicationis sibi applicare. 2. Applicatio fieri debet ante consecrationem, & sufficit, si fiat ante consecrationem calicis, ut fatentur omnes, quia tunc completur Sacrificium, & confertur fructus: imò *Marchant. Lugo d. 8.* cum aliis docent, Sacrificium integrari, compleri & fructum causare primùm in sumptione, adedque ante sumptionem adhuc validè applicari posse. 3. Ad applicationem validam ex communissima sufficit intentio habitualis seu præterita, non revocata; at quia hoc incertum est, & probabiliter impugnatur à *Vasq. Granad. Merat.* in praxi adhibenda est actualis vel virtualis, ne forè illi, cui debetur Missa, privetur ejus fructu. 4. In-

tentio applicantis debet ferri in personam determinatam, quamvis ignotam, v. g. offero pro eo qui dedit stipendium: pro quo jus sit Superior: exigit fundatio: pro maximo peccatore: pro anima maximè desolata, &c. Econtra non valet, si dicasi: Applico illi cui Deus vel Christus vult applicari; sicut non valet consecratio, si velis ex multis hostiis illam consecrare quam determinat Deus. *Ratio* est; quia sicut Deus nullam hostiam determinat, sic nec Sacrificium ulli determinatè applicat, sed hoc reliquit Sacerdoti. 5. Valet applicatio sub conditione præterita vel præsentis, v. g. offero pro Petro, si implevit promissum, si est mortuus vel infirmus. Econtra non valet sub conditione futura, v. g. offero pro Petro, si hoc anno moriatur, si stipendium offeret, &c. *Ratio* est, quia ut applicatio sit valida, debet conditio existere, quando datur fructus Sacrificii; sed conditio futura tunc non existit, nec est in potestate Ministri effectum Sacrificii suspendere, cum illum necessariò conferat dum actu offertur: Ergo. *At nunquid* valet, si dicas: Offero pro eo quem Deus scit primò moriturum, primò daturum stipendium? Affirmant *Vasq. Pasq.* quia conditio non est de objecto futuro, sed de scientia Dei actu existente; sed melius negant *Suar. Coning, Laym. l. c.* quia scientia visionis Dei dependet à futuris contingentibus, ideoque conditio reverà est de futuro & suspensiva fructus Sacrificii jam præteriti, quod



quod fieri non posse jam dixi, essetque in potestate Petri cras percipere fructum hodierni Sacrificii, si daret stipendium, vel non percipere, si non daret, quod est ridiculum. 6. Si Sacrificium applicetur incapaci, utpote pro anima jam beata, vel damnata, vel in mortali existente, tunc fructus satisfactorius manet in thesauro Ecclesie. Igitur in dubio facienda est intentio conditionata, ut si nequeat prodesse cui volo, profit mihi vel alteri, idque tutum est in Missis gratuitis; in Missis obligatoriis vel stipendiatis facienda est intentio, ut si non profit cui debet, profit ejus proximè conjunctis, vel quibus petens maximè est obligatus; hæc enim præsumitur esse illius intentio, ut si sibi prodesse non possit, profit his, *March. Trib. 1.2. q. 2. dub. 2.* 7. Si primò intendas applicare Paulo, ex post autem applices Petro, si id facis memor prioris intentionis, hoc ipso eam revocas, & valet secunda. Si applices alteri, immemor prioris, vide an sit specialis causa mutandi, v. g. repentina necessitas, datio stipendii, &c. si sic, prævalet secunda, secus prima, in praxi certò satisfecisti pro uno, hinc aliam offer pro eo, cui non est satisfactum, & utriusque certò satisfacis. Qualiter applicatio fieri debeat, si stipendia collecta sint à diversis, dicam inf. q. 7. 8. Sacerdos jussus à Superiore Missam applicare Titio, si applicet Cajo, peccat contra obedientiam, valet tamen applicatio, quia applicare & consecrare sunt actus Ordinis, qui fieri possunt

R. D. Jansen Pars II.

à solo Ministro; non potest tamen pro tali Missa accipi stipendium, quia dans fortè frustrabitur fructu, quia *Navar. Ledesm.* probabiliter negant ejusmodi applicationem valere. 9. In Missa gratuita potest Sacerdos fructus dividere, applicando v. g. fructum meritorium & satisfactorium iusto, impetratorium peccatori, *Henriq. Dian. p. 9. t. 2. R. 8. Gobat de Sacrif. n. 141.* Ratio est, quia nemini fit injuria, & illi fructus sæpè ex se sic dividuntur, quando scilicet uni omnes applicari non possunt, sicut peccatori solus impetratorius applicari potest, ergo etiam dividi poterunt à Sacerdote: Si tamen simpliciter alicui Missam etiam gratuito promisisti, non limitando ad certum fructum, teneris ei omnes fructus, si capax sit, applicare, hoc enim intelligitur per promissionem absolutam; econtrà si ad certum finem promisisti, vel etiam vovisti Deo v. g. vel B. V. Sacrum in gratiarum actionem pro obtenta sanitate, potes fructum satisfactorium & impetratorium tibi, vel alteri, aut defunctis applicare. Idem est, si Superior tibi mandet Sacrificium ad certum finem, v. g. ad impetrandam pluviam, fertilitatem, &c. *Tamb. Gob. n. 157.* Econtrà si obligeris ex stipendio vel fundatione, debes danti vel fundatori totum fructum applicare, aut si his ex toto prodesse non possit, sub conditione offerre pro eorum consanguineis, vel iis, quibus maximè obligati sunt, quia hæc videtur esse eorum mens, ut dixi suprà. 10. Si applices Missam

H pro



- pro aliquo tanquam mortuo, qui tamen adhuc vivit, vel econtrà, adhuc prodest applicatio secundùm fructum vivo vel mortuo applicabilem; quia Deus eum confert pro exigentia necessitatis juxta interpretativam tuam intentionem, *Rayn. La Croix n. 216.*
10. 11. Si applicatio sit incerta, aut tantùm probabiliter valida, non satisfacis, si Missa sit obligatoria, quia applicatio incerta non satisfacit pro obligatione certa, *Pasq. q. 187.*
11. 12. In Die Animarum consueto habet, ut Missa applicetur omnibus animabus purgantibus, & earum calamitas hoc postulat, sed non est obligatio, quia Missa potest omitti, ergo & non applicari. Missa neo-presbyteris ab Episcopo imponi solita ad summum obligant sub levi, & juxta *Rubricas* applicatio est libera, exceptâ Missâ pro defunctis. Neomystra consecrans cum Episcopo, non potest pro ea accipere stipendium, quia applicatio est incerta, quia incertum est, an finiat cum Episcopo & verè consecret.

QUÆR. V. An & quoties Parochus obligetur pro suis Parochianis Missam applicare?

11. R. Magna quoad hoc olim inter DD. fuit controversia. *Barb. de off. Paroch. p. 1. c. 11. n. 10.* cum aliis volebat, Parochos teneri aliquoties juxta boni viri arbitrium suis ovibus Missam applicare. *Suar. Nav. Vasq. Lugo, Laym. Metzg. Sannig. dist. 5. q. 8. n. 3. Gob. de Sacrif. n. 402.* dicebant, Parochum vi officii nunquam obligari Missam Parochianis applicare, sed

fatisfacere muneri suo, si Missam illis diebus, quibus populus audire teneatur, legat, etsi sibi vel alteri applicet accepto stipendio; ratio eorum erat, quòd consuetudo esset contraria vel maximè quoad Episcopos & Superiores Regularium, qui tamen verè sunt animarum curatores; & *Trid.* videtur tantùm loqui de fructu generali, non speciali. Sed his controversiis finem imposuerunt variaz *Declarationes Cardinalium*, & in specie de Anno 1681. 1692. 18. Novembr. 1702. & 31. Maji 1704. apud *Reiffenst. l. 3. Decret. t. 41. a. n. 22. Schmalzgruber ibid. a. n. 104.* quibus declaratur: Parochos teneri pro parochianis Sacrificium applicare, atque eâ cum distinctione, ut si reditus pingues sint, singulis diebus; si verò tennes, saltem festivis diebus, ita ut ea nec sibi aut alteri applicare, nec pro iis stipendium valeant recipere. Ratio sumitur 1. ex *Trid. sess. 23. de refor. c. 1.* ubi id supponit, dicens: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, & pro his Sacrificium offerre, &c.* NB. *Trid.* non ait, curatos teneri coram illis, ut Missam audiant, sed pro illis offerre, id est, applicare, non fructum generalem, quia hic debetur toti Ecclesiæ etiam à Sacerdote non curato, nec est in potestate Sacerdotis, ut supradixi: ergo fructum specialem. 2. Id videtur exigere justitia naturalis, cum Parochus illum in finem à suis habeat sustentationem & salarium, & acceptando officium pastorale ad hoc se tacitè obligarit, ideòque *Reiffenst.* di-



dicit, id nunc planè esse certum, & contrarium facientes non esse tutos in conscientia. *Sed potes: Quinam hinc dicantur reditus pingues aut tenues? P. Pingues censentur, si tales sint, ut ex iis honestè & facillimè Parochus sustentari possit, etiamsi non multum superfit; qualiter autem talis debeat indies Missam applicare Parochianis, statim explicabo. Reditus tenues sunt, ex quibus Parochus ægrè, difficulter vel insufficienter alitur, talis tantùm tenetur Missam suis applicare diebus Dominicis & festis; aliis diebus poterit recipere stipendium.*

*Dices* 1. Tales Declarationes hinc non sunt promulgatæ. 2. De iis non constat in forma authentica. 3. Non sunt usu receptæ vel contrariâ consuetudine abrogatæ. 4. Nimis durum est Parochum habentem pingues reditus indies obligari applicare suis Sacrificium, tum quia non obligatur indies sacrificare, ergo nec suis indies applicare; tum quia sic non posset unquam applicare sibi, amicis, vel consanguineis, imò nec Missas vel anniversaria facere pro certis ex Parochia defunctis, quia his applicando fraudaret ceteros fructu. *re. ad* 1. Declarationes non important novam legem, sed declarant antiquam in *Trid.* contentam, ideoque sufficit hanc fuisse promulgatam, ut dixi *Caf. 5. n. 16. Ad 2.* Sufficit, quòd de iis moraliter certò constet ex fama vel libris. *Ad 3.* Est lex Divina, ut expresse dicit *Trid. l. cu.* quam interpretes *Trid.* solùm explicant, sed lex

Divina recipi debet, & consuetudine abrogari non potest, *c. fin. de consuet.* & pro certo habent omnes Theologi & Canonistæ. *Ad 4.* Illa lex non est ita rigidè accipienda, ut Parochus absolutè singulis diebus obligetur sacrificare & suis applicare; sed tunc quando commodè celebrare potest, & non est obligatus pro funere anniversario fundatoribus vel propinquis, ita ut si Parochus habens pingues reditus etiam ex devotione celebrare voluerit, non possit unquam accipere stipendium, sed ea relinquere Sacellanis aliisque Sacerdotibus liberis, *Reiffenst. Schmalzgr. l. c.* Væ etiam Parochis opulentis, qui pro pauperibus jura solvere non potentibus nequidem Sacrum funebre facere volunt, aut si faciant, funeralia aliaque jura etiam ab egentissimis rigidè extorquent, quia *Judicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam, fac. 2.* Et illum in finem habent à communitate largiores reditus, ne opus sit gravare egenos.

QUÆR. VI. Quid circa onera Missarum recipienda vel reducenda? *re. I. Urban. VIII. 21. Jun. 1625. & Inn. XII. 23. Decemb. 1697.* 13. districtè prohibent, *Ne Episcopi in Dioecesana Synodo aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quòquo modo reducant onera ulla Missarum post Conc. Trid. aut in limine foundationis imposita, sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur; moderationes aliter factæ declarantur nullæ & inanes. Insuper prohibetur, ne imposterum*



onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, saculares quidem sine Episcopi vel ejus generalis Vicarii, Regulares vero sine Generalis vel Provincialis consensu & licentia in scriptis & gratis concedenda; alioquin secularis, qui hujusmodi prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesie interdictus sit eo ipso; Regularis vero pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda vocisque activæ & passivæ absque alia declaratione incurrat. Super qua Constitutione postmodum varia formata sunt dubia, super quibus S. Congregatio sub eodem Urb. VIII. declaravit seqq. 1. Si legatum pro Missis sit adeo tenuis, ut non sit qui velit onus injunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam, totum aut ferè totum insumetur pro expensis. Respondit adhuc esse recurrendum ad S. Sedem, quæ absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino è re esse judicaverit; verumtamen si in ipsa beneficii erectione expressè cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere, legem hanc esse validam & observandam. 2. Si Monasteria, Collegia, &c. pro pluribus Missis incongrua & exigua stipendia susceperint, debent legere tot Missas, quot à dante stipendia præscripta fuerint; quod si hic numerum Missarum non præscripserit, tunc tot celebrari debent, quot præscripserit Ordinarius secundum morem Civitatis vel Provinciae. 3. Si Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam, & Sacerdotes nihilominus liberè acceptent minus congruam,

tenentur tot Missas legere, quot petiit dans eleemosynam. 4. Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii seu Capelle, legati aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non possunt eadem Missa utrique obligationi satisfacere. Excipe, nisi ex fundatione vel aliunde constet, quod fundatores Capellanis aut beneficiatis reliquerint intentionem liberam, Barb. Donatus, Schmalzg. n. 109. Sed de hoc plura dicam q. 8. 5. Si testator relinquat, ut pro ejus anima celebrentur centum Missæ absque ulla præscriptione eleemosynæ, Episcopi erit eleemosynam præscribere, quæ respondeat oneribus Missarum. 6. Declarat omnia privilegia de reducendis Missis esse revocata quoad reductionem Missarum post privilegium (in Triad. concessum) receptarum. 7. Ecclesiæ vel loca pia de eleemosynis Missarum nihil retinere possunt titulo expensarum, (id est, pro cereis, vino, paramentis, &c.) nisi pro his alios non habeant redditus, & nihilominus tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynam; quod Laym. Tamb. Sporer n. 371. extendunt ad privatum collectorem stipendiorum, ut nihil ex iis retinere possit; nihilominus valde probabiliter cum consensu Sacerdotum exiguum quid de qualibet Missa pro labore retinere potest, modò obinde non minuatur Missarum numerus, Sor. Rodrig. Vasq. Tamb. Dicast. Pasq. q. 977. quia ille labor utilis est legentibus & petentibus  
Mis.

14



Missas, neque tenetur enim gratis subire; e contra haeres, cui à morturo committuntur v. g. 100. Imperiales pro Missis, nihil sibi ex iis retinere potest; si nullum stipendium à defuncto determinatum sit, debet dare non indignum defuncto: si Missas commisit Sacerdoti, quem credebat probum & fidelem, satisfacit, etsi ex post dubitet an lecta sint, quia defunctus non censetur ad plus eum obligasse, *Bardi, La Croix n. 149.* 8. Qui ratione beneficii obligatur celebrare, si per alium celebret, non tenetur dare stipendium juxta reditus beneficii, sed sufficit dare congruum ad morem patriæ. Super dubio nono nihil reperitur declaratum. 10. Sacerdos, qui accepit elemosynam solito majorem, si alteri Missam committat, debet dare absolute integram, nec ullam illius partem sibi retinere potest: coincidit Prop. 9. ab Alex. VII. damnata: *Potest Sacerdos, cui Missa celebranda traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retentâ.* Quare retinens partem stipendii, tenetur saltem ex lege Ecclesiæ ad restitutionem vel legenti Missas, vel danti stipendium, quia non est titulus retinendi. *Nec obstat, quod substitutus censetur illam partem remittere, quia hoc communiter fit coactè ex metu, ne Missæ subtrahantur; si tamen ratione foundationis Missæ perpetuæ, vel ex peculiari affectu erga tuam personam tibi detur stipendium largius solito, puta quia pauper, amicus vel consanguineus es, relicta fa-*

cultate etiam per aliam aequè dignam legendi, (quod semper suppono) satis est dare consuetum, quia reliquum tibi datum est non intuitu Missæ, sed ratione foundationis, paupertatis vel amicitiae, *Bonac. Lug. Tamb. l. c. 11.* Prohibentur recipi stipendia, pro quibus intra modicum tempus satisfieri non potest; nisi 12. Stipendium offerentes consentiant, &c. si ipsas declarationes & tenorem Decreti Urb. VIII. desideres, vide *Reiffenst. sup. a. n. 30. La Croix a. n. 63.*

11. Circa præfatum decretum Urb. & Declarationes Cardin. tenenda sunt seqq. 1. Prohibetur sola reductio Missarum vel anniversariorum post Trid. vel in limine foundationis impositorum, ideoque Episcopi in Synodo Diocesana, & Generales Ordinum in Capitulo Generali alia Missarum vel Anniversariorum onera adhuc reducere & moderari possunt, prout illis expressè concessit *Trid. Sess. 23. c. 4. de reform.* Modò ea, quæ eum in finem relicta sunt, sint insufficientia, & non perierint eorum culpa, nec ab Episcopo aut Prælato eum scitu Capituli in alios usus sint conversa. In locis in quibus Synodi Diocesanae raro celebrantur velut in Germania, Episcopos etiam extra Synodum Missas, Anniversaria & Præbendas ex causa minuere posse, cum *Monet. Nav. Barb. & Wiestner* affirmat *Schmalzg. n. 149.* & ita habere praxin testatur *Gob. tr. 3. a. n. 589.* 3. Si fiat reductio, potius Anniversaria in Missas, quàm Missæ in Anniversaria mutanda sunt, ut declaravit *S. Cong. apud*



*Fagn. in c. 12. de const. n. 34.* Et eorum benefactorum, quorum anniversaria vel Missæ minuuntur vel conjunguntur, commemoratio facienda est, *Trid. l. c.* Plura in reductionibus observanda vide apud *Pasq. q. 1162. & seqq. 4.* Memorata decreta etsi sanctè sint observanda, potest tamen iis per contrariam consuetudinem derogari, & reverà ubique integrè recepta non esse testatur *Garc. p. 7. de benef. c. 1. n. 136. Castropalao t. 22. d. un. p. 15. Wiestner n. 591.* & in specie de Germania testatur *Gobat sup.* & ad derogandum hujusmodi declarationibus sicut & aliis legibus Ecclesiasticis sufficere decennium, dixi *Cas. 5. n. 14. 5.* Si certò constet, quòd ea, quæ pro celebratione Missarum vel Anniversariorum relicta sunt, absque culpa Prælati, Ecclesiæ, vel Monasterii perierint ex toto, ita ut illorum intuitu nihil percipiatur, Missæ & Anniversaria absque reductione omitti possunt, *Fraxinel. Riccius, Bordon. Pelliz. Donatus, Monacel. p. 2. tit. 13. forma 2.* ubi adducit Declarationes S. Congreg. de 7. Aug. 1687. & 8. Aug. 1705. quos citant & sequuntur *Wiestner. l. 3. t. 41. n. 70. Schmalzgr. ibid. n. 137. Leuren. l. 3. q. 977.* Ratio est, quia dignus est operarius mercede sua, *Luc. 10.* & beneficium datur propter officium: ergo cessante beneficio etiam cessat officium.

QUÆR. VII. Quid circa Missas stipendiatas?

17. R. Circa hæc plura jam dixi Q. præced. quibus adde seqq. 1. Acceptans stipendium obligatur ex justitia Mis-

sam applicare ad intentionem dantis, quia intercedit pactum, *do ut facias.* Si plura à diversis accepisti stipendia, applica primò illi, qui majorem habet prærogativam justitiæ vel congruentiæ; certum est enim aliquem à parte rei ex justitia vel saltem ex congruentia esse præferendum, eò quòd fortè prius dederit, vel sit in majori necessitate, &c. Difficilior est applicatio, si tertius v. g. Sacristanus à diversis stipendia collegit, & pecuniam in unum confusam diversis distribuatur Sacerdotibus; si enim omnes applicent primò ei qui habet præferentiam justitiæ, vel est in majori necessitate, hic accipiet ab omnibus integram Missam, cum fortè unum tantum dedit stipendium. Si quamlibet Missam æqualiter applicent omnibus, à quibus stipendia collecta sunt, fiet injuria illi qui plura dedit stipendia, quia non plus participat quàm qui solùm dedit unum; si simul applicent omnibus, sed pro rata collatæ à singulis pecuniæ, fiet injuria illi, cui ob jus præferentiæ prima Missa debetur integra, & per ejusmodi applicationem non satisfieri docent plures cum *Pasq. n. 95.* idèoque saltem est incerta, etiam ex eo quia non omnes petunt ad eundem finem. Si dicas: Debent applicare eo modo, quo id ex justitia optimè fieri potest & debet. *Contrà* est, quòd sic inposito casu nulli applicari possit; vel enim applicaretur omnibus, vel alicui determinatè; neutrum autem justè fieri posse probatum est, neque validè applicatur uni indeterminatè; quia sicut



18. sicut ex multis hostiis non potest una indeterminatè consecrari, ut fatentur omnes, sic nec uni ex multis indeterminatè applicari Sacrificium. Igitur in praxi collector debet curare, ut stipendia non confundantur, & quilibet Sacerdos legat determinatè pro iis, quorum stipendia accepit; si pecuniæ jam mixtæ sunt, debet collector determinare, pro quibus quilibet Sacerdos legere debeat, dicendo v. g. Sacerdos A. legat pro decem primam prærogativam habentibus. Sacerdos B. legat pro subsequentibus decem, & sic deinceps. 2. Per stipendium hîc intelligitur aliquid temporale, quod datur pro totali vel partiali sustentatione Sacerdotis; nec refert, quòd aliunde habeat media sufficientia vivendi; nam etiam ex hac actione ei debetur sustentatio, juxta illud 1 ad Corinth. 9. *Qui Altari serviunt, de Altari participent.* Ratio à priori est, quòd populus jure naturæ obligetur DEO tanquam supremo Domino offerre Sacrificium; cum ergo hoc per se ipsum non possit, tenetur illum in finem alere Sacerdotes. Dico, pro sustentatione. Nam dare temporale pro Missa tanquam pretium seu æquivalens rei spirituali, est simonia; si adjunctus sit labor extraordinarius, v. g. Sacerdos, debet maturius surgere, longius ire, diutius canere, possit plus peti, quia talis labor est extrinsecus & pretio æstimabilis; & quamvis pro stipendio tantum acceptari possit, quantum pia fidelium liberalitas obtulerit, tamen plus exigi non potest nec debet, quàm

consuetudo aut ordinatio Episcopi pro more civitatis vel provinciæ permiserit, *Nav. Bonac. Gobat n. 557.* Nec obstat, quòd Sacerdos indigeat, & victualia sint cara; nam etiam pecunia tunc est pretiosior, inquit *Spor. n. 359.* 3. Alex. VII. damnavit hanc 19. 8. Prop. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam speciosissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem.* Ratio damnationis est, quòd hic fructus probabilius alteri applicari non possit, ideòque fit injuria stipendium offerenti; nec potest Sacerdos duplex stipendium accipere ex eo, quòd uni applicet fructum ex opere operato, alteri ex opere operantis; uni Missam, alteri indulgentias v. g. Altaris privilegiati; quia dans stipendium petit sibi applicari utrumque fructum, & petens legi in Altari privilegiato, etiam petit applicari indulgentias, *Tamb. Steph. t. 5. d. 5. n. 65.* Neque licet distincta stipendia accipere, quia uni applicatur fructus satisfactorius, alteri satisfactorius, quia totus fructus debetur pro quolibet stipendio, nisi dantes expressè consentiant; tunc enim etiam aliquid accipi possit pro adhibenda majori devotione vel pluribus collectis, *Spor. n. 264.* In praxi tamen id non consulerem ob notam turpis avaritiæ. 4. An Ecclesia vel 20. Sacerdos alteri Missas committens aliquid de stipendio retinere possit, dixi sup. n. 14. 5. Idem Alex. damnavit Prop. 10. *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere,*



pere, & unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata dari stipendium, quod pro nullo alio offeram. Quod si stipendia sint minora solito, debes vel ea non acceptare, vel post acceptationem tot legere Missas, quot petuntur, quia acceptando te ad hoc obligas, ut certum est ex declaratione Cardinal. supr. Si tamen tibi ignorantem vel per fraudem stipendium incompetens vel pecunia adulterina data fuerit, non teneris nisi pro rata stipendii; reliquum fructum tibi vel alteri applicare poteris, *Suar.*

21. *Tamm. Dian. p. 2. t. 14. R. 7. 6.* Omittere unam vel plures Missas gratuito promissas per se tantum peccat venialiter, *Cajet. Suar. Sanch. l. 1. de mat. d. 5. n. 25. Dian. p. 2. t. 17. misc. R. 9.* Ratio est, quia obligatur ex sola fidelitate, cujus violatio ex se tantum est culpa venialis, ut dixi *Cas. 51. n. 2.* Per accidens tamen potest esse obligatio gravis ex justitia, ut si quis se ita obligare velit, aut promissionem vestiat juramento, adhibitione testium, &c. 7. Omittere unicam Missam stipendiatam probabiliter tantum videtur veniale, nisi stipendium, quod injuste retines, sit materia gravis furti. Ita multi contra multos. Ratio est, quod Sacerdos non censeatur se gravius velle obligare, quam hic & nunc tenetur se obligare vi contractus; sed vi hujus non tenetur se plus obligare quam sub veniali, quia justitia non exigit nisi aequalem obligationem in utroque contrahente; cum ergo promittens stipendium non obligetur

nisi sub veniali, etiam Sacerdos plus non obligabitur. Nec obstat, quod una Missa sit materia gravis; nam nec vult, nec tenetur se ad eam obligare graviter; hinc a potiori non peccat graviter, qui Missam plus æquo differt; attendenda tamen sunt circumstantia, nam parum differri debent Missæ defunctorum, adhuc minus Missæ pro presenti necessitate, v. g. pro periclitante ex partu vel infirmitate, *Gobat. n. 597. Steph. n. 69.* Qui omisit Missas stipendiatas, vel plures assumpsit quam legere possit, debet reddere stipendia, vel per alios legere; si stipendia consumpsit, nec habeat unde restituat, debet Missas petere gratis, si habere possit, debet offerre pro iis bona opera, jejunia, Orationes & Missas quotidianas, quantum sine præjudicio aliorum fieri potest: si cesset finis Missæ neglectæ, v. g. ægrotus, pro quo legere debebas, jam mortuus est, non potes ex post suppleri, nisi dans stipendium consentiat, ut ad alium finem legas, sed debes stipendium reddere.

QUÆR. VIII. Quid de legenda certa Missa in certo loco & tempore per se ipsum?

22. *R. 1.* Si patiantur Rubricæ, sub veniali legenda est Missa quæ petitur, v. g. de requiem, quia magis prodest defunctis ob Orationes speciales, *Pasq. q. 287.* Si per Rubricas non sit licitum legere talem Missam, qualis petita est, legi debet à Rubricis præscripta, per quam obtinetur omnis indulgentia, quæ obtinetur per Missam de requiem in Altari v. g. privilegiata.



legiato, ut statuerunt *Alex. VII.* 5. Aug. 1662. *Clem. IX.* 23. Sept. 1669. ut sic nulla esset causa rationalis mutandi ritum ab Ecclesia præscriptum. 2. Qui accepit stipendium, ut legat certo loco & tempore, ita ut locus & tempus per se intendatur, v. g. petit quis Missam in Altari privilegiato propter indulgentias, ad statum miraculosam, die Jovis in honorem Ven. Sacramenti, in Sacello, ut populus habeat Missam, &c. non potest retineri stipendium, nisi legatur tempore & loco præscripto, & petens aliter non intendit à se abdicare dominium stipendii. *Neque obstat*, quòd Missa alibi facta applicetur petenti; nam hoc fit contra ejus voluntatem; & sicut contra meam voluntatem in horto meo laboranti non debetur merces, ita nec hic stipendium. 3. In anno sexies & juxta *Pasq.* vigesies mutare locum aut tempus, non est mortale, nisi cedat in grave damnum vel incommodum, ut si Missa pro defunctis non fierent in Altari privilegiato, vel populus non haberet Missam. Causa rationalis mutandi locum aut tempus secluso alio incommodo est, si inveniat Altare occupatum; si desit aliquod requisitum ad Missam, deberetque nimis diu expectare; si velit adesse primitiis, visitare amicum, *Lugo, Less. La Croix L. 4. n. 824.* De indulgentiis Altaris privilegiati dicam *Cas. 102. q. 8.* 4. Qui ex fundatione obligatur legere omni die, potest semel in septimana ex reverentia abstinere, quia fundator non præsumi-

*R. D. Jansen Pars II.*

tur tam strictè obligare, *Sanch. Sannig. d. 9. q. 8. n. 5. Dian. p. 5. t. 6. R. 15. Tamb. de Sacrif. l. 2. c. 3.* Si tamen legat, non potest accipere stipendium, neque sibi vel alteri gratis applicare, nisi fortè quinquies in anno, juxta *Gobat*, quia plus præsumi non potest permittere fundator. 5. Qui obligatur omni die Jovis & Sabbathi in honorem v. g. Ven. Sacramenti & B. M. V. Si omittat, non tenetur alio die supplere, quia Missæ annexæ sunt diei, *Lugo d. 21. n. 43. Dicast. t. 5. d. 9.* Item talis non obligabitur in hebdomade sancta, quia potest se accommodare consuetudini Ecclesiæ; si tamen legat, debet applicare fundationi. 5. Obligatus omni mense legere 15. Sacra, satisfacit pro mense sequente, si modò legat 30. nisi ex speciali motivo intendatur singulis mensibus, v. g. ut populus diu non careat Missa, vel ut Missa profint morituris &c. *Bey. Gob. n. 602.* 6. Si fundatio jubeat celebrare, quoties salvâ honestate cum debita devotione fieri potest, probabiliter excusatur, qui in gravi passione iræ, tristitiæ, tædii, &c. animum componere non potest, aut patitur capitis dolores, cruditates stomachi; imò *Nav. Sannig. l. c.* docent, obligatum aliquoties in septimana, si unâ alterâve septimanâ, vel ut volunt *Lug. & Laym.* etiam per mensem infirmetur, non teneri ex post compensare, ratio est voluntas præsumpta fundatorum, eò quòd & domini temporales ob brevem infirmitatem non soleant aliquid subtrahere de mercede famuli. 7. Si scias te obligari, sed

I igno-



ignores quoties, eò quòd litteræ fundationis sint amissæ, vel id non exprimant, vide quid antecessores fecerint, vel quæ sit consuetudo, aut quid faciant alii simile beneficium habentes, & idem fac; si nec sic rescire possis, tot sunt legendæ, quot Ordinarius pro more civitatis vel provincie præscripserit, ita declaravit *S. Congreg.* apud *Matthæo. de off. Eccl. c. 10. n. 13.* 8. Si fundatio habeat, ut Sacellanus vel beneficiatus tot legat Missas in tali loco in honorem Sancti ad commoditatem populi, non exprimendo, ad quam intentionem, *Schmalzgr. n. 113.* cum multis dicit, applicationem esse liberam; sed contrarium declaravit *S. Congreg.* apud *Pign. t. 1. conf. 139. Matthæo. sup.* quòd scilicet applicari debeat fundatori, quando non exprimit se intentionem relinquere liberam, quia fundatores ordinariè volunt, sibi, vel suis applicari, ideòque id etiam in dubio præsumitur, sicut si quis det stipendium, ut legatur in isto loco, ut populus, vel Moniales Missam audiant; hoc ipso censetur etiam sibi velle applicari fructum, & legens non potest pro tali Missa aliud stipendium accipere, ut declaravit *S. Congreg.* apud *Gob. n. 549.* 9. Si plurimæ Missæ fiant in ara, in qua est corpus Sancti, ita ut Missæ in ea fundatæ difficulter legi queant, possunt legi in Altari vicino cum imagine ejus Sancti, *Pign. t. 1. g. conf. 80.* quia idem est fructus Missæ, & cultus Sancti, qui est finis fundationis, sic potius augetur, quàm minuitur, & sic interpretatio, non mu-

ratio fundationis. Idem dicit *Pign.* de eo, qui accepta elemosynà obligatur in Altari privilegiato, quia elemosyna acceptata est sub tacita conditione: Si in loco petito commodè legi possint. 10. Si fundatio non exprimat, an Missæ legi debeant per se ipsum, an per alium, satisfacit, si legat per alium; quia *qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum, Reg. 68. & 72. Juris in 6.* In dubio attendi debent circumstantiæ & observatio temporis præteriti, *Lucea d. 58. n. 8.* Et quamvis fundatio in beneficiato requirat *Sacerdotium & personalem residentiam*, adhuc non tenetur celebrare per se ipsum, quia ista verba plus non significant quàm desiderium fundatoris, ut beneficiatus aptus sit celebrare per se ipsum. Et ita resolvit *S. Cong.* apud *Lugo d. 6. n. 10.* 11. Qui obligatur legere per se ipsum, si legitimè impediatur, non tenetur supplere per alium, secus si obligetur per se vel per alium, quia tunc ex præsumpta fundatoris voluntate obligatio per impedimentum non extinguitur, *Castropalao, La Croix n. 820.* 12. Si in fundatione cautum sit, ut Capellanus per se ipsum celebret Missas, simplici adhuc conferri potest Clerico in ea ætate constituto, ut intra annum ad *Sacerdotium promovetur queat, S. Congreg. Lenr. p. 2. q. 162. n. 3.* 13. Simplex Sacerdos vi Ordinis tenetur aliquoties in anno celebrare, *S. Thom. 3. p. q. 82. a. 10. Sannig. Henao d. 80. n. 9.* Ratio est communis Ecclesiæ sensus. Et *Trid. sess. 27. c. 1.* dicit, Christum Apostolis & Sacerdotibus eorum successoribus id



id præcepisse per verba: *Hoc facite, &c.* probabile tamen est cum *S. Bonnav. Cajet.* hoc præceptum datum esse communitati Sacerdotum, non autem singulis. Deinde simplex Sa-

cerdos tenetur celebrare, quando ipse vel populus die obligato aliter Missam audire non potest; hoc enim requirit ejus officium, *Sennyei* 9. 54.



## CASUS XCIV.

De tempore & loco, & cæteris ad Missam requisitis.

**G**Abius Sacerdos dubitat: 1. *Quâ horâ manè Missam inchoare possit.* 2. *An in nocte Nativitatis possit legere omnes tres.* 3. *An post meridiem, an in hoc cum suis dispensare possint Superiores Regularium.* 4. *An Matutina præmittenda.* 5. *An liceat legere die Jovis, Veneris & Sabbathi S.* 6. *An sapius eodem die, & ex quibus causis.* 7. *An & quando liceat Missam ab- vel interrompere.* 8. *Quando liceat legere extra Ecclesiam.* 9. *An in cubiculo infirmi.* 10. *Quid hic possint Episcopi vel Regulares.* 11. *Quid de Ecclesia execrata vel polluta.* 12. *An casus polluentes debeant esse publici, an polluant Oratoria.* 13. *An polluta vel execrata Ecclesia polluat Altare & cæmeterium, an reconcilietur per celebrationem Missæ.* 14. *Quid agendum de lignis vel lapidibus Ecclesiæ destructæ.* 15. *Cujus sit Ecclesiæ consecrare, benedicere, reconciliare.* 16. *An Episcopi dare possint licentiam celebrandi in privatis Oratoriis.* 17. *Quid de Oratoriis Regularium.* 18. 19. 20. 21. 22. *Sacularium.* 23. *Quid circa Altaris formam.* 24. *Consecrationem.* 25. *Execrationem.* 26. 27. *Quid circa*

*materiam, consecrationem, attactum, execrationem patenæ, calicis, ciborii, Monstrantia.* 28. *Quid circa benedictionem & execrationem paramentorum.* 29. *An aliquando sine iis celebrare liceat.* 30. *Quid de eorum colore.* 31. *Quid de mappa, antependio, Cruce.* 32. *Lumine, Missali, Ministris.* 33. *An liceat celebrare nudis pedibus, tecto capite, vel cum parucca.* 34. *Quid de campanis.* 35. *Qualis Missa legi debeat, de quo Sancto.* 36. *Quid de Missis votivis & de requiem.* 37. *Quale peccatum sit hic aliquid omittere vel mutare.* 38. *Accelerare, nimis submissè vel altè recitare.* Pro Resolutione

QUÆR. 1. *Quâ horâ celebrandum?*

Re. 1. *Tempus licitè celebrandi juxta Rubricas incipit ab aurora usque ad meridiem. Aurora autem hîc non sumitur mathematicè, sed moraliter pro sesqui hora ante Solis ortum: imò Missam regulariter duabus horis ante ortum Solis inchoari posse docent Rodrig. Suar. d. 80. f. 6. Tamb. de Sacrif. l. 1. c. 6. Unde cum teste Rodrig. 99. reg. 9. 33. Religiosi habeant privilegium, ut unâ horâ tempus*

I 2 ordi-



ordinarium prævenire & sequi possint, his licitum erit tribus horis ante ortum Solis Missam inchoare, ita ut si Sol in æstate oriatur horâ quartâ, legere possint primâ noctis. 2. Etiam alii Sacerdotes auroram *ex justa causa* prævenire possunt, ut si consecrandum sit pro morituro viaticum, die festo itinerandum, nec seriùs commodè legi possit, si in magna solemnitate alias non possent dici omnes Missæ, item ut famuli, opifices in hyeme ante laborem Missam audiant, & ita in civitatibus Germaniæ habere consuetudinem testatur *Laym. hic c. 4. n. 3.* 3. Et si communis cum *Pign. t. 7. conf. 25.* teneat, & *S. Congregatio* sæpè declaraverit, quòd in Nativitate Domini omnes tres Missæ non debeant dici de nocte, nec distribui Communio; contrarium tamen habet consuetudo, quæ cum *Gavanto* non videtur improbanda, si ob numerum Sacerdotum alioquin omnes Missæ commodè dici non possent. 4. *Sotus, Nav. Dicast. Gobat t. 3. n. 202.* dicunt, Missam saltem ex causa rationabili, putà itineris, festi, Jubilæi, accursus populi, vel ut Princeps Missam audiat, incipi posse ante tertiam pomeridianam, quia olim legebatur vesperi, & contraria consuetudo non est inducta ut obligativa, sed ad majorem commoditatem Sacerdotum & fidelium. *Pius V.* tantum prohibuit Missas vespertinas, vesper incipit prius horâ tertiâ. Juxta *Sennyei* & communem licet inchoare ante primam pomeridianam, intellige ubi hoc specialiter non est prohibitum,

ut graviter prohibitum est in Dicecesi Colonienfi Missam incipere post duodecimam, non autem finire, 5. Possunt Superiores Regularium cum suis dispensare, ut ex rationabili causa tempus celebrandi anticipent vel postponant, quia possunt cum suis, quod Episcopi cum sæcularibus, *Pasq. La Croix n. 225.* 6. Missale præscribit, ut Missa non legatur nisi per soluto Matutino cum Laudibus; at non est obligatio saltem gravis, imò nec levis, si adsit aliqualis causa, major v. g. commoditas itineris, studii, &c. Est nunc communis cum *Soto, March. Snar. l. c. Illung t. 5. n. 36.* quia nullibi reperitur præceptum, & rubricæ hinc tantum sunt directivæ, vel ad summum obligant sub veniali, nec est specialis connexio vel dependentia Missæ à Matutino.

QUÆR. II. Quibus diebus & quoties liceat celebrare?

R. I. Per se licet omnibus diebus. Difficultas est de tribus ultimis diebus Quadragesimæ, & quidem 1. Die Jovis S. laudabilis habet consuetudo, ut unus tantum Superior celebret, & reliqui omnes etiam Sacerdotes more laicorum communicent, ad imitationem Christi & Apostolorum; licitum tamen est etiam aliis celebrare de feria, præsertim accedente aliquâ causâ, ut v. g. populus manè Missam audiat, nulla enim id lege prohibetur, & ita habet consuetudo in Germania, testibus *Tann. Laym. c. 5. n. 9. Dicast. d. 4. n. 28.* & si quod est decretum S. Congreg. in contrarium, id non esse legitime pro-



promulgatum docet *Lug. d. 10. n. 14. Semyei* monet, eo die non esse celebrandum post Missam solemnem. Si quis habeat duas parochias, debet sepulchrum erigere in principaliori, vel si in utraque erexit, officium facere in sola principaliori, & alteram hostiam reponere in sacrario. Si utraque Parochia sit populosa & distans, debet uno anno hic, altero ibi officium facere, *Amicus apud Pign. t. 9. conf. 79. n. 15.* 2. Die Veneris sub mortali prohibetur Sacrificium Missæ, quia illo die Ecclesia recolit Sacrificium cruentum in Cruce, *c. Sabbathi, de consec. d. 3.* Neque licet dare Communionem nisi infirmo, *Barb. Dian. p. 4. t. 4. R. 237.* Si Parochus die Jovis non reposuit hostiam pro die Veneris, utatur parvâ consecratâ, si habeat; si non habeat, faciat duas hostias privatim consecrari per alium Sacerdotem, si Sacerdos non adsit, & timeatur grave scandalum, quod aliter evitari non possit, juxta *Gobat, Sporer n. 452.* Ipse Parochus potest manè de Passione vel Cruce privatim consecrare duas majores hostias, reservando tñam pro Officio; quamvis enim tunc agat contra duplex præceptum Ecclesiæ de non consecrando & non communicando bis, prævalet tamen præceptum naturale de evitando scandalo. 3. Die Sabbathi una Missa solemnis permittitur, non verò privata nequidem de requiem stante funere, quia *Alex. VII. 5. Aug. 1662. & Clem. XI. 30. Aug. 1706.* prohibent Missam de requiem dici in duplici, multò ergo magis die

Jovis vel Sabbatho-S. quibus etiam triplicia cedunt, ideòque tunc exequi differendæ sunt post Octavam Paschæ.

§. II. Olim licebat toties eadem die Missam legere, quoties placebat; nunc solum unicam legere licet, *c. consultuisti de celeb. Mis.* Excipe 1. diem Nativitatis Domini, in quo permittitur cuilibet Sacerdoti ter consecrare, *c. sufficit, de consec. dist. 1.* Ad hoc tamen nemo tenetur, sicut nemo tenetur tres Missas audire; si quis ex permissione Episcopi soleat consecrare in duabus parochiis, poterit in die Nativitatis facere sex Sacra, *Gobat n. 188.* & qui in uno loco, ubi est novum Calendarium, in Natali Domini celebravit tres, poterit in alio loco, ubi est Calendarium vetus, iterum tres Missas celebrare, utendo privilegio loci; qui tamen semel in Natali celebravit, non potest postea communicare, quia sola pluralitas Sacrificii permittitur. 2. Ordinatus die Nativitatis in Sacerdotem potest duas postea Missas legere, quia non communicavit more laico, sed cum Episcopo. Ordinatus in ultima Missa adhuc potest dicere priores duas, quia ordo ille non ita est necessarius, ut ex rationabili causa mutari non possit. 3. Si unus vel alter pastor vicinus sit ægrotus vel absens, potest alius bis vel ter, si opus fuerit, consecrare, nec requiritur major causa pro tertia, quàm pro secunda Missa; idem alii permittunt die feriali in accursu populi, adventu Magnatis, aut Principis; sed attendenda est con-



fuetudo & ordinatio Episcopi; Religiosis sufficit licentia suorum Superiorum, *Pasq. q. 392*. Si ad Superiorem recurri non possit, prudens quisque potest de causa judicare. 4. Si desit hostia pro viatico moribundi, licebit Sacerdoti etiam non jejuno secundò celebrare, communissima apud *Tamb. l. 4. c. 6. §. 8. Leand. hic n. 447*. Si moriearis sub primo Sacro, reserva particulam de hostia majore, si hostiam jam sumpseras, sume etiam Sanguinem, & omisâ Purificatione perage reliqua, & de novo incipe Sacrum, si periculum sit, ne ægrotus interim moriatur, intermisso Sacro vade ad eum absolvendum & inungendum, nequaquam licebit consecrare, ut vocant, compendiosè, hoc est, extra Missam, vel unam tantum speciem; id enim Ecclesia nunquam permittit, *Chapeau. c. 4. q. 20*. 5. Obligatio dicendi Missam conventualem non est ratio sufficiens iterandi, nisi forsan ob periculum scandali die festo; nec sufficit benedictio nuptiarum, quia potest differri vel fieri sine Sacro, neque paupertas Sacerdotis aut Ecclesiæ, *c. sufficit de consec. dist. 1.*

QUÆR. III. Quid de ab-vel interrumpenda Missa?

7. ix. Abrumpere Missam captam sine causa, est mortale, quia est gravis irreverentia, ideòque abrumpens incurrit suspensionem à Corpore & Sanguine Christi, *c. nullus de consec. dist. 1. Dixi, sine causa*; nam justa causa abrumpendi etiam post consecrationem est 1. *Periculum mortis* ex incurso hostium, expedit tunc speciem con-

secratam sumere, ne inhonoretur, & abire. 2. *Morbis*; si Sacerdos deficiat post unam speciem consecratam, debet alius Sacerdos, etiam non jejunus, si adsit, Sacrificium complere: id enim exigit integritas Sacrificii; si deficiat sumpto sacro Corpore, poterit Calix sumi à Sacerdote, vel reponi in sacrario cras sumendus cum aliis speciebus de novo consecrandis. 3. Si polluat Ecclesia per notoriam sanguinis effusionem, & Missa adhuc sit ante consecrationem, debet abrumpi; idem est, si Sacerdos recordetur se esse excommunicatum vel suspensum, aut locum esse interdictum, *rubr. §. 8. n. 5*. Si ex abruptione timeatur infamia vel scandalum, ut plerumque timeri potest, si celebretur publicè, semper licet proseguere, *Sennyei, Pasq. q. 194*. Quid agendum illi, qui sub Missa recordatur mortalis, dixi *Cas 92. n. 33. & 42*. 4. Possè Missam ante oblationem abrumpi, & novam inchoari, ut Cardinalis, Episcopus, Marchio vel Comes superveniens Missam die festo audiat, probabiliter affirmant *Laym. Dicast.* modò non adsit alius Sacerdos, qui Missam legere possit; si enim ex simili causa, juxta plures, liceat iterare Missam, cur non abrumpere? At rectius *Sennyei, Pasq. q. 199. Ills. hic n. 108*. dicunt, expedire, ut nihil repetatur; quia ipsa inconvenientia repetitionis satis excusat ab auditione illius partis; multò minùs repeteri poterit post Offertorium. 5. Similiter ex justa causa potest Missa interrumpi v. g. interponendo ordinationem, concionem,



nem, imò pro dando viatico vel unctiōe moribundo intra Ecclesiam vel in vicinia potest interrumpi post consecrationem, retentis sacris vestibus, multò magis id licet ad dandam absolutionem etiam remotè extra Ecclesiam, quia necessitas excusat ab omni irreverentia: interim sacræ species vel sunt reponendæ intra sacrarium, vel constituendus qui eas custodiat. *Senn. La Croix n. 248.* dicunt, in posito casu posse dimidiari confessionem; quod non probo, quia illa brevis mora in audienda integra confessione tantùm prolongat interruptionem jam inchoatam; ergo sicut non licet dimidiare confessionem ob magnum concursum pœnitentium, ut certum est ex Prop. 59. ab *Imm. XI.* damnata, ita minus hic.

QUÆR. IV. Quo loco celebrandum?

8. R. Seclusâ necessitate & privilegio, sub mortali celebrandum est in Ecclesia consecrata vel benedicta, non execrata neque polluta, *c. 1. 11. 12. 14. de consec. dist. 1. Trid. sess. 22.*

*Dicitur primò:* Seclusâ necessitate; nam si urgeat necessitas, licet celebrare in alio loco decenti in Altari portatili: Ut 1. si alicubi non sit Ecclesia vel Oratorium ab Ordinario approbatum, vel sint diruta aut combusta, *c. 30. de consec. dist. 1.* 2. Si tempore pestis, belli, vel persecutionum in Ecclesia sine periculo legi non possit, potest legi in privatis domibus, carceribus, vel cryptis subterraneis, uti factum testatur *Baron. ad annum Christi 303. n. 39.* 3. Si tem-

plum non capiat populum, potest erigi Altare ante templum, *Laym. Schmalzgrub. l. 3. tit. 40. n. 8.* 4. In bello & castris diebus festis pro militibus, festis & profestis pro Officialibus, *Lugo, Pasq. Dian. p. 9. t. 1. R. 44.* 5. In longa navigatione in littore, aut quieto mari, etiam in navi, modò alius Sacerdos vel Diaconus calicem teneat, ne labatur, quod *Suar. Schmalzgrub.* meritò extendunt etiam ad peregrinationem terrestrem per loca deserta vel infidelium; neque in his casibus opus esse licentiâ Episcopi; sed ipso jure & consuetudine eam concedi docet *Reiffenst. l. 3. t. 41. n. 13.* intellige, si necessitas sit evidens, & non sit facilis ad Episcopum recursus. 6. An verò diuturna infirmitas sit causa sufficiens, ut saltem Episcopus dispensare possit, ut legatur in privatis aedibus in portatili pro solamine infirmi, post decretum *Clem. XI.* (de quo statim) est valde incertum, quo statuitur, quòd nec ipsi Episcopi possint in domibus laicorum Missam legere; aut alteri Episcopo id in sua diœcesi permittere; multò ergò minus hoc Episcopus permittere poterit laico; at quia decretum non loquitur de casu necessitatis aut infirmitatis, adhuc probabiliter id concedere poterit Episcopus in tali casu, & ita habet consuetudo & praxis in his partibus.

*Dicitur 2. Secluso omni privilegio,* quale olim ex *Can. Missarum de consec. dist. 1.* habebant Episcopi, & Prælati Episcopo majores in quo vis loco etiam in domibus laicorum & extra diœ-



diœcesin erigendi Altare portatile, in eoque legendi; idem potuerunt Franciscani, Prædicatores, & alii cum iis communicantes: & quamvis plurimi apud *Pign. Gobat, Sporer. n. 440. Schmalzgr. l. c.* docuerint, hæc privilegia, præsertim Episcoporum, eò quòd sint clausa in Corpore Juris, per *Conc. Trid.* non fuisse revocata, nunc tamen ea, etsi in Corpore Juris clausa, tam pro Episcopis, quàm pro Regularibus esse revocata, certum est ex novissima declaratione *Clem. XI. die 15. Decemb. 1703.* cuius tenorem exhibent *La Croix l. 6. p. 2. post num. 258. Reiffenst. n. 5.* qui à *n. 9.* testatur, hoc Decretum in pluribus Germaniæ Episcopatibus, nominatim in Salisburgensi, esse publicatum & receptum.

II. Dicitur 3. In Ecclesia non consecrata, neque polluta; nam in his sacrificare, sepelire, vel Officium Divinum facere, est mortale, quia graviter prohibetur per jura cit. Ecclesia execratur, seu amittit consecrationem, quando muri ex majore parte corruerunt, vel ab incendio interiùs majori ex parte sunt devastati, & abradi, non verò si parietes dealbentur, vel tectum corruat; quia consecratio adhæret parietibus, è contra benedictio adhæret fundamento, idèdque Ecclesia non amittit benedictionem, nisi destruatursi auctoritate Superioris, & sine spe reedificandi, *Engel. l. 3. decret. t. 40. Reiffenst. ibid. n. 12. Schmalzgr. n. 23.* Ecclesia dicitur pollui, si in ea fiat actio, propter quam putatur indecens

exercere Officium Divinum, quod de jure fieri potest quinque modis: 1. Per effusionem sanguinis humani graviter injuriosam, *c. fin. de consec.* Unde non polluantur, si effusio fiat ab amente, ebrio, furioso, vel ad justam defensionem, aut non in Ecclesia, sed in porticu, turri, vel subtus in spelunca. 2. Per homicidium culpabiliter vel per sententiam judicis illatum, *c. si motum de consec. dist. 1.* non verò per suspendium ad muros Ecclesiæ. 3. Per illicitam effusionem seminis humani, *c. uni de consec. in 6.* 4. Per sepulturam excommunicati denunciati, seu vitandi, quales in Germania non sunt hæretici. 5. Per sepulturam hominis non baptizati; excipitur tamen probabiliter catechumenus, infans parentis Christiani, vel dabiè, vel omnino non baptizati, *Engel. §. 2. Pasq. Schmalzgr. n. 74.* quia tales in odiolis non censentur infideles, & Ecclesia in dubio non censetur polluta. Casus prædicti, ut inducant Ecclesiæ pollutionem, debent esse publici, *Sylvest. Barb. Engel. Reiffenst. l. c. Parrhibid. n. 12.* Ratio est, quia quamdiu factum non est publicum, Ecclesia retinet bonam famam suam, idèdque non censetur violata; per prædicta polluitur sola Ecclesia propriè talis, hoc est, locus communis ab Episcopo consecratus vel benedictus, non autem Oratoria privata, quæ in odiolis non censentur Ecclesia, *Suar. Lugo D. 20. n. 59.* Polluta Ecclesiâ polluitur Altare fixum, non portatile; item polluitur cæmeterium contiguum, non è contrâ,



*c. un. de consec. in 6.* Execratâ tamen Ecclesiâ non execratur Altare, quia in hoc unum non est accessorium alterius, *Barb. Schmalzg. n. 67.* Ecclesia polluta non reconciliatur per hoc, quod in ea Missa celebratur, ut contra Sâ habet communis, sed debet reconciliari ritualiter per Episcopum. In necessitate, ut populus v. g. Missam audiat, posset Episcopus dispensare, ut legatur in Ecclesia nondum reconciliata, *Barb. Dian. Delbene, & plures apud Leuren. l. 3. q. 954. n. 4.* Si Ecclesia destruat vel corruat, ligna & lapides converti nequeunt ad privatos laicorum usus; potest tamen ex hujusmodi lignis construi alia Ecclesia, Sacellum vel Capitulum Religiosum, vel etiam ligna in coquina Religiosorum comburi, *Gloss. ad c. que semel.* Lapidés cum licentia Episcopi vendi possunt ad usus profanos, non sordidos, erecta tamen ibi Cruce, *c. que semel 194. t. Engel. l. 3. t. 48. n. 9.* Corpora sepulta in Ecclesia profanata transferri debent ad alium locum benedictum.

14.  
15. QUÆR. V. Cujus sit Ecclesias consecrare, benedicere, pollutas reconciliare? &c.

R. 1. Consecrare Ecclesias de jure est solius Episcopi, *l. nemo. c. nullus de consec. dist. 1.* 2. Abbates & Superiores Regulares, etsi non possint consecrare, possunt tamen vi privilegii à Leone X. Fratribus Minoribus, & per communicationem aliis concessi solemnî benedictione benedicere omnes & singulas ejusdem Ordinis Ecclesias, cœmeteria, Capitula, & Oratoria

R. D. Janfen Pars II.

ubique existentia, *Rodrig. t. 1. q. 19. n. 2. Barb. Reiffenst. n. 9. Leuren. n. 5. Schmalzg. n. 16.* & hoc privilegium nullibi esse revocatum cum aliis restatur *Pelliz. 10. 2. t. 8. c. 5. n. 67.* 3. Ecclesias pollutas, si præviè fuerint consecratae, de jure reconciliari possunt à solo Episcopo, *Barb. Pirrh. tit. 40. n. 20.* At vi privilegii memorati possunt Fratres Minores & cum iis communicantes (inter quos sunt Præmonstratenses, ut dixi *Cas. 71. n. 5.*) ecclesias sibi subjectas quomodocunque violatas etiam prius consecratas reconciliare, & quidem aqua per ipsosmet benedicta, quando Episcopus distat duabus diætiis; (una diæta continet 20. milliaria Italica, seu 4. vel 5. Germanica) si verò duabus diætiis non distat, aquâ per Episcopum benedictâ, quâ opus non esse apud *Reiffenst.* docent *Rodrig. Barb.* si Episcopus absit, aut interveniente morte, renunciatione, vel dispositione non existat. 4. Si polluitur Ecclesia, quæ prius non fuit solemniter consecrata, sed solum benedicta, vel authoritate Episcopi, vel alterius ad cultum Divinum deputata, tunc potest à quovis Sacerdote non petita ab Episcopo licentiâ per asperisionem solius aquæ lustralis ordinariæ denuò reconciliari. Communis & certa, *c. fin. de consec. Leuren. n. 4. 5.* Cœmeteria polluta ab iisdem reconciliantur, à quibus Ecclesiæ, *Sylvest. Pirrh. n. 30.*

QUÆR. VI. Quid circa Oratoria?

R. 1. Oratorium est locus in privatis ædibus ad cultum Divinum de-

16.

K pu



putatus non habens campanam, nec ingressum in via publica, quem si habet, dicitur Sacellum publicum, secus privatum, quod ad nutum domini redire potest ad usus privatos, *Gobat n. 251.* Potest Episcopus sæcularibus licentiam dare, ut constanter celebretur in publico, non verò in privato, nisi in casibus necessitatis supra memoratis ob decretum Trid. Clem. XI. quod tamen quoad hanc partem ab Episcopis Germaniæ ubique non est receptum, vel decennali consuetudine in contrarium (quod etiam cum mala fide fieri posse dixi *Cas. 5. n. 14.*) abrogatum, ita ut teste *Gobat t. 3. n. 244.* & *La Croix n. 263.* praxis doceat, quòd Episcopi in Germania habeant potestatem concedendi privata Oratoria ex justa causa ad dies vitæ. 1. Non obstante decreto Clem. adhuc possunt Regulares vi suorum privilegiorum erigere privata Oratoria & Capellas domesticas in Monasteriis, in cameris, ac cellis infirmorum, in grangiis & villis, ubi Religiosi resident, legere in Altari viatico seu portatili, *Dian. Lezan. Pelliz. Azov. cum Reiffenst. n. 19.* quia his privilegiis non derogavit Trid. quod solum loquitur de domibus privatis, seu locis profanis, quo nomine non veniunt domus Religiosorum, & post Conc. Trid. hujusmodi privilegium de novo concesserunt Greg. XIII. Societati Jesu, & Pius IV. Anno 1565. Canonicis Regularibus, & per communicationem aliis Religiosis, *D. D. c. c.* Neque his privilegiis præjudicat sæpè fatum decre-

tum Clem. utpotè quod solum declarat, quæ privilegia à Conc. Trid. sint revocata, nec afficit privilegia post Concilium concessa: neque Regularium Oratoria indigent Episcopi designatione vel approbatione, possuntque in illis legi eodem die plures Missæ etiam à Sacerdote sæculari, quia privilegium illorum non est personale tantum, sed & locale, seu redundat in ipsum locum, ideòque gaudent immunitate, *Lezana, Dian. apud La Croix n. 257.* atque etiam sæculares in iis satisfaciunt præcepto Missæ, *Quart. Tamb. l. 1. c. 4. Illung. t. 5. n. 169. Reiffenst. n. 21.* 3. Laici, qui per falsa narrata impetrarunt privilegium celebrandi Missam in Oratorio privato, non possunt eâ licentiâ uti, quia est subrepticia & nulla, ideòque tenor concessionis esse solet: *Tibi, qui, ut asseris, ex nobili genere procreatus existis, qui in actuali morbo vel senio constitutus es, &c.* Si morbus vel nobilitas falsò allegetur, non valet concessio; sufficit tamen nobilitas ex una tantum parte matris vel patris, quia favores latè accipiendi sunt, *Pign. 6. consec. 98.* 4. Hoc privilegium datum à Papa durat ad mortem privilegiati, nec finitur morte Papæ, qui concessit, vel Episcopi, qui designavit locum, quia est gratia; si mutatur locus, debet iterum approbari, nisi antea fuerit Oratorium, ut contra Pasq. excipit Quintanav. Neque amittitur, si mutet domicilium in aliam dioccesin, quia privilegium est personale; requiritur tamen inspectio loci, & approbatio novi Episcopi, *Syl-*



*Sylves. Aversa, Dian. p. 9. t. 1. R. 7.* Neque opus est, ut claudatur quatuor muris, sed potest ex una parte claudiretela, vel tapere; locus de cetero debet esse mundus, nec in ea poni lectus, in eo edere vel bibere una vel altera vice est tantum veniale, quia talis actio non est mortale ne quidem in Ecclesia consecrata; si comestio fiat constanter, utendo illo loco velut alio profano, est mortale, quia gravis irreverentia. 5. In privilegio exprimi solet, ut una tantum Missa unoquoque die celebretur, legere tunc secundam esse mortale, quia est ac si legeretur extra loca deputata, idque de novo prohibet Clem. XI. precipiens, ut celebraturus se diligenter informet, an indulta Missa jam lecta fuerit. Potest tamen & hic prevalere consuetudo contraria, quæ in dubio non presumitur, sed probari debet, quia est quid facti. 6. Bulla & Clem. XI. prohibent ibi legere die Paschatis, Pentecostes, Nativitatis ac aliis solennioribus festis; per festa solemniora S. Congregatio apud *Gavant. p. 1. t. 20.* intelligit festum Epiphaniæ, Annunciationis, Assumptionis B. M. V. festa SS. Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, quod alii putant non habere vim legis, maxime ubi consuetudo est contraria, *Pasq. 9. 659.* Si privilegium concessum est propter infirmitatem, nulli dies festi excipi solent, *Gavant.* 7. Extranei non satisfaciunt præcepto Missæ in Oratorio privato, imò nec domestici, qui tunc pro servitiis Domini non sunt necessarii; & ut Sacerdos ex-

traneus ibi legere possit, qui non est Sacellanus, debet adesse aliquis de familia, quia sic habet tenor Bullæ & decretum *Clem. XI. de Anno 1703.* nomine autem familiæ veniunt Herus, uxor, proles, famuli commensales, quod Pelliz. extendit ad fratres vel filias nuptas in eadem domo habitantes, etsi non habeant eandem mensam: addi solet nec non in hospitium suorum nobilium præsentia, qui etiam satisfaciunt, etsi sint ex eadem civitate vel parochia, quia favores sunt ampliandi, *Tamb. 8.* Hæc omnia præcipiuntur fieri sine iurium parochialium præiudicio; hinc sine parochi licentia non licet ibi ministrare Sacramenta, concionari, catechizare, &c. præsumi tamen potest parochus non esse invitus, ut ibi denuncientur festa, & distribuatur Communio extra tempus Paschale, nisi positivè contradicat; neque videtur esse contra jus Parochi Missam ibi solenniter cantare, ob rei tamen novitatem fieri non debet absque licentia Ordinarii.

QUÆR. VII. Quid circa formam, consecrationem & execrationem Altarium?

31. Tenenda esse sequentia: 1. Altare aliud est fixum, seu loco immobiliter inhærens, aliud viaticum seu portatile, quod ab uno loco portari solet ad alium, utrumque debet habere sepulchrum, seu cavitatem, in quo reponantur reliquiæ, si certæ haberi possint, item esse quadratum, & ex superiori parte lapideum, *can. Altaria 31. de consec. dist. 1.* Portatile



constare potest duobus lapidibus  
connexis, qui claudi & ante conse-  
crationem aperiri possint instar libri.  
24. 2. Utrumque debet esse consecratum  
ab Episcopo, vel ex privilegio Papæ  
à simplici Sacerdote. Tale privile-  
gium Pius IV. in Bullar. novo to. 2.  
concessit Abbatibus Cassinensibus,  
Greg. XIV. omnibus Abbatibus Ci-  
sterciensibus, teste *Rodrig. t. 1 q. 28. a. 2.*  
Paulus III. Societati Jesu in remo-  
tissimis partibus, ubi Episcopus Catho-  
licus facile inveniri non potest,  
*Schmalzgr. n. 38.* Honorius III. &  
Adrianus VI. Provincialibus Fra-  
trum Minorum, & Fratribus, quibus  
ipsi commiserint pro Indiis, in casu  
necessitatis Episcopis in Provinciis  
non existentibus, *Rodrig. 3.* Cele-  
brare sine Altari, vel in non conse-  
crato, est graviter prohibitum, *c. 19.*  
*c. 30. de consec. dist. 1.* Si consecrata  
sint, potest quilibet Sacerdos intra  
Ecclesiam consecrare in utroque, in  
fixo potest consecrare ubique; cum  
enim erigatur autoritate Episcopi,  
censetur ipse locus ab Episcopo desti-  
natus ad cultum Divinum, *Pasq. q. 705.*  
*Sennyei q. 389.* In portatili non potest  
legi extra locum benedictum, nisi  
ab illis qui habent privilegium, de  
quibus Q. 6. Non opus est, ut Sacer-  
dos alibi consecrans exploret, an Al-  
tare sit consecratum, vel integrum,  
25. sufficit esse expositum. 4. Altare  
fixum execratur, seu amittit conse-  
crationem, si mensa seu superior  
lapis à basi, cui innititur, removeat-  
ur, *c. 1. & 2. de consec.* Non item si  
lapides inferiores mensam immedia-

tè non tangentes removeantur, & alii  
substituantur, aut pars superior & in-  
ferior simul integrè transferantur ad  
aliam templi partem, vel superior  
tabula non sit ita affixa inferiori, quin  
unà cum sepulchro commodè trans-  
ferri possit, quia tunc induit naturam  
Altaris portatilis, *Gobat, Sylvest. v. Al-  
tare q. 10. Barb. in c. 1. de consec. n. 2.*  
5. Fixum & portatile execratur, si  
enormiter sint fracta, ita ut tertia pars  
sit destructa; item si frangatur aut  
removeatur sepulchrum seu locus  
reliquiarum, quod *Soto, Suar. Pirrh.*  
*n. 26.* probabiliter non admittunt,  
quia reliquie nunc sæpè non impo-  
nuntur, eò quòd approbatæ vix ha-  
beri possint. 6. Si lapis consecratus  
frangatur in duas partes, quarum  
qualibet apta sit sustentare hostiam  
& calicem, utraq; pars juxta com-  
munem apud *Henoa & La Croix n. 31.*  
potest servire pro duplici ara, quia  
totus lapis erat consecratus; & sicut  
partes divisæ non amittunt usum &  
finem, sic nec consecrationem: ne-  
que consecratio amittitur per hoc,  
quòd Altare frangatur in quatuor  
cornubus, in quibus sit unctio, neque  
sit tantum lapis sit scissus, modò par-  
tes nec ab invicem, nec ab inferiori  
structura separentur, quia scissura  
non tollit formam, nec facit aliud  
Altare, *Pasq. La Croix n. 303.* In du-  
bio an fractura sit enormis, consu-  
lendus est Episcopus, *Castropalao,*  
*Reiffenst. n. 37.*

QUÆR. VIII. Quid circa cali-  
cem, patenam, ciborium, Monstran-  
tiam? &c.



26. **Q** 1. Ad Missam requiritur patena, & calix ex auro, argento vel stanno quoad cupam, pes esse poterit ex aere, ferro, vel alia materia, *Laym. n. 12.* Idem dic de ciborio & Monstrantia. 2. Calix & patena non benedicuntur per usum, ut volunt *Pasq. Dian.* sed debent esse consecrata ab Episcopo, vel habente privilegium, quale habent Abbates & Prælati gaudentes usu mitræ & baculi, idque non tantum pro suis, sed & pro aliis Ecclesiis, teste praxi, *Pasq. Engel. l. 3. tit. 40. n. 9.* Declarationes in contrarium non sunt usu receptæ, vel de iis non constat authenticè. 3. Ciborium non consecratur, quia in Rituali nulla fit mentio chrisnatis vel unctionis; probabilius tamen debet benedici, quia pro eo habetur specialis benedictio in Rituali; possuntque benedicere Superiores Mendicantium, uti & reliqua paramenta, in quibus nulla intervenit unctio. *Suar. Bonac. Sol. Pasq. q. 778. Sporer n. 401.* dicunt, benedictionem ciborii tantum esse de congruentia, quod certum videtur de monstrantia, quia nulla pro hac habetur benedictio in Rituali; deceret lunulam, in qua ponitur hostia, benedicere benedictione pixidis, nullo tamen id jure præcipitur. 4. Si quis præter Sacerdotem aut Diaconum calicem, patenam, corporale, ciborium, in quibus actu est Corpus Christi, tangat, peccat mortaliter, communis, *arg. can. 40. c. 42. de consec. dist. 7.* Si vacua sit, erit veniale ea tangere absque causa; aliàs aullum. Acolythi & minoribus ini-

tiati licitè vacua tangunt, *c. non liceat d. 23.* uti & Regulares Sacristæ, etsi laici ex privilegio concessò Mendicantibus omnia S. vasa, corporalia, &c. reverenter tangere & lavare possunt, *Laym. Sporer l. c. 5.* Patena & calix consecrationem amittunt per notabilem fractionem, ut si pes à cupa abrumptur, nisi calix sit tornatilis, & cupa ex arte absque fractione possit separari, *Pasq. 768. Engel n. 6.* Non amittitur consecratio per ictus à fabro, & probabiliter nec per deaurationem, *Coning, Pelliz. Reiffenst. n. 46.* quia major pars sacra cupæ trahit ad se minorem, & ecclesia non execratur, si de novo dealbetur, ergo nec calix, si deauretur; deinde execratio est odiosa, quæ in dubio induci non debet, nisi ex textu claro.

**QUÆR. IX.** Quid circa paramenta aliæque ad Missam requisita?

**Q** 1. S. vestes & præcipua paramenta ad Missam pertinentia, velut Casula, Stola, Manipulus, Alba, Cingulum, Amictus, Corporale lineum, aut ex cannabe vel gossipio, Purificatorium, Palla, debent esse benedicta; probabilius autem non benedicuntur per usum, ut docent *Jordan. Dian. p. 5. l. 13. R. 60.* sed benedici debent ab Episcopo vel Superiore Regularium, id enim concessit Innoc. VIII. Prioribus Ordinis S. Hieronymi & Vicariis in absentia Prioris, & per communicationem aliis, ut possint benedicere Corporalia, vestimenta, cæteraque ornamenta Ecclesiastica ad cultum Divinum pertinentia tam sui Monasterii, quam etiam undecunque sint.



*sint*, Pelliz. Miranda, Rodrig. q. 19. n. 2. Defranch. in controu. p. 2. q. 28. n. 3. Si dicas: S. Congreg. apud Gavant. Lezana, Defranch. declaravit, quod tantum id possint pro suis Monasteriis. R. S. Congregatio solum vult, quod privilegium in genere datum ad benedicendum omnia paramenta intelligendum sit tantum de paramentis suae Ecclesiae, non autem si in specie exprimat, quod Regulares possint benedicere omnia paramenta tam sui Monasterii, quam NB. *undecumque sint*, sicut hic; neque enim S. Congreg. revocat, sed tantum explicat sensum privilegii in genere dati, praesens autem non indiget explicatione, Defranch. l. 2. Reiffenst. n. 52. atque ita habet praxis. 2. Praedicta paramenta amittunt benedictionem, si ita immutentur, ut sint inepta ad usum, ad quem fuerunt benedicta, ut si ex Stola fiat Manipulus, ex Corporali Purificatorium, ex Casula Stola, vel ex Alba abscindatur manica; si plane sint attrita, non debent adhiberi ad usum profanum, sed potius exusi, & cineres mitti in Sacrarium, *c. ligna, de consec.* Non amittunt benedictionem per novam suffulturam, Gobat t. 3. n. 300. neque si adhibeantur ad usum profanum, attamen sic usurpantes peccant contra reverentiam, adeo ut utens ad comaedias profanas vix vacet culpa mortali, Suarez dist. 81. f. 8. 3. Sine omnibus sacris vestibus Missam dicere vix unquam licet, ne quidem ad dandum viaticum, vel ut populus Missam audiat, aut ut satisfiat foundationi vel stipendio, sicut

29.

non licet consecrare extra Missam, quia praecipuum de viatico vel audienda Missa non obligat, nisi quando celebrari potest reverenter. An id liceat ad vitandam mortem comminatum, dixi *Cas. 88. n. 29.* Omittere unam e majoribus, Casulam, Albam, Stolam, vel Corporale, est mortale. In necessitate, ut cum dandum est viaticum, vel die festo sine gravi scandalo aut murmure populi Missa omitti non posset, licebit legere sine Stola vel Manipulo, non autem praecise ut satisfiat praecipuo Ecclesiae, quod tunc obligare cessat, *Laym. Dian. p. 3. t. 2. R. 57.* Si oblitus es Stolam, debes ante consecrationem adcurare adferri, si possis absque turbatione, murmure & scandalo; dare Communionem sine Stola est solum veniale, *La Croix n. 335.* Si Parochus non habeat Albam benedictam, posset die festo celebrare in non benedicta, *Gob. n. 323.* 4. Omittere Manipulum, Cingulum vel Humerale, Pallam, est tantum leve, ideoque excusatis, si sit aliqualis necessitas, v. g. ut tu vel alius satisfiat praecipuo, foundationi, vel lucretur indulgentias, & manipulus haberi non possit. Si desit Velum, potest consecrari sine eo, in defectu Purificatorii potest adhiberi strophium mundum, quia non requirit benedictionem; tunc tamen non potest amplius adhiberi ad usum profanum, debetque Purificatorium prima vice lavari a persona sacra. Velum, bursa, manutergium, pulvillus pro libro requiruntur ex decencia, *Gavant. Sporer. n. 400.* Uti paramentis sordidis plerumque



30. que est tantum veniale. 5. Rubrica quoad colorem paramentorum juxta *Suar.* est merè directiva, & vix potest hic peccari mortaliter, nisi forsan ob scandalum, ut si quis in Paschate publicè legeret in nigris. Quoad colorem quivis Sacerdos potest, imò & in diœcesi Colon. ex mandato Archi-Episcopi, debet se accommodare officio illius Ecclesiæ, in qua celebrat, quamvis ab officio suo discordet; ita, ut si in Ecclesia illa utantur paramentis albis, tu debeas uti eisdem, etsi Missam legas de martyribus vel de feria. 6. Sufficit Mappa duplex regens totum Altare, vel una duplicata aut triplicata ea parte, ubi ponitur patena cum calice, debet esse è lino, cannabe vel gossipio, & ab Episcopo vel habente potestatem benedicta, adhibere nullam est mortale, adhibere unicam veniale; in necessitate posset adhiberi linteum profanum, profanis usibus restituendum, *Sennyet, Pasq. Suar. Laym. c. 6. n. 11.* Ratio est, quòd nullo jure major hic rigor præcipiatur. 7. Antependium potest esse ex asseribus vel alia materia colorata, quia adhibetur solum ad ornatum. 8. Requiritur crux sub veniali, si Venerabile sit expositum, non opus est cruce, melius tamen est ex devotione celebrare sine cruce, quam Missam omittere, *D.D.c.c.* 9. Requiritur lumen duplex, unum omittere videtur solum veniale, omittere utrumque juxta communem est mortale; si utrumque ante consecrationem extinguatur, sine spe habendi brevi aliud, *Fagn. Lobner. Tamb. l. 1. c. 5. §. 4.* dicunt, Missam

esse abrumpendam; sed probabilius potest continuari, quia continuatio Missæ est decentia intrinseca, lumen extrinseca, *Leander. Pasq. Sennyet;* si unum extinguatur, mone ministrum, & perge. Juxta Rub. requiruntur candelæ cereæ, in necessitate possent adhiberi ex sevo; *Gobat n. 292.* mallet has adhibere, quam Sacrum omittere; distribuere Communionem sine lumine, juxta *Suar.* est veniale, juxta *Sporer.* nullum. 10. Requiritur Missale; in necessitate posset legi Missa in charta descripta, vel etiam memoriter, modò absit periculum errandi, *Laym. Sporer. l. c.* Quilibet potest se accommodare Missali Romano, vel suæ diœcesis: Sacerdos ritus Romani utens Missali Regularium, juxta *La Croix n. 367.* peccat graviter, intellige, si legat Missam propriam soli isti Ordini concessam, aliàs non video obligationem gravem; si enim in defectu Missalis posset legi ex charta, ut ipse fateatur, cur non ex alieno Missali? Modò Missa & ritus non notabiliter discrepent. 12. Ex gravi præcepto requiritur Minister, qui respondeat, & necessaria ministrat, in necessitate, ut populus Missam audiat, vel conficiatur Viaticum pro morituro, licet legere sine Ministro, *Navar. Bonac. Tamb. l. 1. c. 7. §. 5.* si non possit haberi Minister, qui respondeat, debet saltem adhiberi, qui ministrat necessaria, & cum tali licet celebrare, etiam ex sola devotione, si alius non adfit, *Laym. c. 4. n. 13. Sporer. n. 390.* Fœmina prohibetur ministrare, *c. inhibendum de cobab. Cler. & mul.* ita ut plu-

33.



plures dicant satius esse absque omni ministro celebrare, quam adhibere feminam; posset tamen tolerari consuetudo, ut in defectu masculi femina vel monialis respondeat à choro, collocutorio, vel fenestella ad latus extra conspectum Sacerdotis, ita ut reliqua sibi ipsi Sacerdos ministrat.

13. Rubrica requirit, ut Sacerdos Missam legens sit calceatus, excusat tamen quævis rationabilis causa; deinde legi debet nudato capite: si quis ex denudatione pateretur grave incommodum, posset se privatim tegere usque ad consecrationem, & rursus post Communionem peractam, *Navar. Gobat, La Croix n. 400. Innoc. XI. prohibuit, ne celebretur in capillitio ficto seu perruca absque speciali licentia S. Sedis, idque publicatum est Colonia 21. Martii 1689. Nihilominus videmus Clericos seculares passim contentos esse iudicio unius alteriusve prudentis medici, & Regulares iudicio Superiorum.*

34. 14. Ad *Sanctus* & elevationem (nisi sit concio) datur signum parvæ campanulæ, quæ non benedicitur: campanæ majores, quibus convocantur fideles ad ecclesiam, consecrantur ab Episcopo, vel per Abbates Pontificalia exercentes, quos habere hanc facultatem etiam pro ecclesiis extraneis, sicut & pro consecrandis Altaribus, calicibus, &c. testatur *Aversa 9. 11. f. 3. § 6. Campanæ suspendi non possunt in Oratoriis privatis, sed solum publicis, c. patentibus 10. de privil. Abbas, Barb. Esse autem licitum uti campanis benedictis ad monendum*

populam de re profana, v.g. orto incendio, de educendo reo, adventu militum &c. dum aliter moneri non possunt, docet *Schmaltz gr. n. 57. & quotidiana praxis.*

QUÆR. X. Qualis Missa legi debeat?

35. 1. Debet legi talis, qualis à Rubricis præscribitur; qui legit contra Rubricas, v.g. in duplici de requiem vel votivam, secluso contemptu & scandalo peccat solum venialiter, *Suar. Dian. Senzger, Tamb. Sporer l. c. Votum vel promissio de legenda Missa contra Rubricas non obligat, quia est de re illicita, vel minus laudabili.*

2. Potest legi de quovis canonizato, etsi necdum relato in Martyrologium; de beatificato legi potest tantum in die assignato, non autem extra diem, vel per annum votiva, nec in alia Missa de eo addere commemorationem, uti nec horas legere, neque eorum imagines in Ecclesiis vel Oratoriis publicis exponere sine speciali licentia S. Sedis, ut declaravit S. Cong. 27. Sept. 1659.

3. Missæ certis Religiosis concessæ non possunt legi ab aliis, qui ejus Religionis non sunt; excipe Sacellanos monialium etiam seculares, qui possunt Missas Monialibus proprias, v.g. de Beato Ordinis dicere, sed ex Missali Romano de communi, ut declaratum est Romæ 9. Junii 1668. quamvis Introitus, Graduale & Offertorium discordent à choro.

36. 4. Missæ votivæ (seclusa causâ publicâ) non possunt dici in Dominicis vel duplicibus, nisi duplicia sint ad libi-



libitum, nec infra Octavas Nativitatis, Paschæ, Pentecostes, Epiphaniæ, Corporis Christi, die Cinerum, Hebdomade S. in vigilia Nativitatis & Pentecostes, in vigilia Epiphaniæ; in votiva ordinariè omittitur *Gloria, Credo*, nisi sit de Angelis vel B. V. in Sabbatho, vel solennis; memoratis diebus etiam nequit legi *de Requiem*, & pro diebus duplicibus sub gravibus penis prohibuit Alex. VII. & Clem. XI. 30. Aug. 1706. nisi stante funere; pro die anniversaria, tertia, septima, trigesima, ne quidem permittitur Missa solemnis *de Requiem* in duplici præcepto, ut declaravit S. Cong. 1. Sept. 1607. & 20. Junii 1626. sed differenda est ad diem non impeditum, vel potiùs anticipanda; in Altari privilegiato festo duplici legenda est Missa concordans Breviario, & eadem Indulgentiæ obtinentur, quæ per Missam *de Requiem*, ut dixi *Casu præc. n. 22.* De numero Collectarum, ritibus, ceremoniis per annum observandis v. Rubricas Missalis.

QUÆR. XI. Quale peccatum sit hic aliquid omittere?

37. *sc. 1.* Omittere lotionem ante Missam ad summum est veniale, si manus sint fordidae; omittere post Missam nullum, quia rubricæ hic sunt directivæ. 2. Orationes præparatoriæ vel etiam gratiarum actoriæ dicendæ sunt pro opportunitate Sacerdotis, idèoque non obligant, possuntque mutari in alias preces; idem die de Orationibus inter lavandum & induendum, *Tamb. l. 1. c. 7.* 3. Omittere

R. D. Jansen Pars II,

partem missæ substantialem, v. g. oblationem, consecrationem, summionem unius vel utriusque speciei, juxta omnes est peccatum mortale & gravissimum sacrilegium; idem videtur, si omittatur pars ordinaria notabilis, quæ semper dici solet; ut si omittatur Epistola, Evangelium, pars Canonis cum mutatione sensûs; secus si tantum aliqua nomina Sanctorum omittantur. Item juxta *Pasq. q. 208.* si post Communionem omittatur purificatio calicis & patenæ; omittere partem non ordinariam, quæ in omni Missa dici non solet, ut *Gloria, hymnus, Credo, &c.* vel omittere partem non notabilem, secluso scandalo est solum veniale, ut si omittatur *Judica, Kyrieleison*, una vel altera Collecta, *Tractus, Alleluja*, aliqua benedictiones & cruces, Evangelium S. Joannis in fine, quod magis tenet, si illa non omittantur, sed permutentur, ut si loco specialis Collectæ, Evangelii, Præfationis aut Communionis, legatur de communi; idem est, si dicatur *Gloria, Credo, Sequentia, &c.* quando sunt omittenda, *Lugo, Tamb. Pasq. Gobat l. c. 4.* Qui potest omnia peragere præter elevationem Hostiæ & Calicis, potest his omissis privatim celebrare, imò & publicè, modò populus moneatur, ne murmuret, aut scandalizetur, *Gobat n. 743.* quia ille defectus non est tantus, ut privet jure acquisito ad celebrandum. 5. Accelerare Missam per se est tantum veniale, nisi syllabæ ita absorbeantur, ut sensus notabiliter mutetur, vel adsit scandalum; absurdum est operi

L di-



divinissimo ad mediam horam nolle immorari, idque præcepit Synodus Colonienſis Anno 1662. Notabilem partem ita recitare intra dentes, ut ſecluſo omni impedimento ſe ipſum audire non poſſit, juxta *Paſq. La Croix n. 438.* eſt mortale, quia præcipitur oratio vocalis; vox autem eſt ſonus, ſonus eſſentialiter eſt audibilis, cum ſit objectum auditûs. Nihilominus probabilius eſt non peccari, quia ad orationem vocalem ſufficit, quòd verba formentur per motum oris & linguæ; talis enim oratio non eſt merè mentalis, ergo vocalis; & ſicut res colorata manet obrutum viſûs

hoc ipſo, quòd maneat colorata, etſi dividatur in partes adeò exiguas, ut non ſit proximè apta videri, ſic & vox aut ſonus manet verè talis, etſi ſit ita tenuis, ut audiri non poſſit. *V. Caſ. 73. n. 12. 7.* Qui verba ſecretò dicenda altè recitat, plerumque peccat venialiter, niſi tam altè in præſentia plurium exprimat præſertim verba conſecrationis, ut circumſtantes ea clarè intelligere, addiſcere, & ad profana abuti poſſint; tunc enim & non aliàs peccatur graviter contra finem præcepti. De diſtracto ſub Canone vel conſecratione dixi *Caſ. 91. n. 13. Caſ. 92. n. 7.*



## CASUS XCV.

De obligatione Miſſam audiendi & abſtinendi à ſervilibus,

**H**Adrius ſcrupulatur: 1. An ſit obligatio ad Miſſam in feſto indicto à Rege vel Epifcopo, an in die Cinerum, hebdomade S. Feſto S. Marci, in die animarum, & quid in dubio. 2. An obligentur pueri, Sacerdotes, ſurdi, ſaci & muti, peregrini. 3. Qualis requiratur attentio, intentio. 4. An ſatisfaciat, qui Miſſam audit immemor præcepti, aut nolens ſatisfacere. 5. Aut ſi ex intentione mala, curioſitate, &c. 6. Quid de ebrio, dormiente, diſtracto, vel non advertente Miſſam jam eſſe ceptam. 7. Quid de iis qui ſub Miſſa colloquuntur, libros profanos legunt, pingunt, conſitentur, conſeſſionem audiunt, Horas vel librum ſpiritualem legunt, com-

municant, &c. quid de muſicis, organidis, miniſtris. 8. 9. Quid ſi pars Miſſæ negligatur, Epifſola, Evangelium, conſecratio, oblatio, Communio. 10. An veniens ante vel poſt conſecrationem teneatur reliquam partem audire. 11. An audire per partes. 12. An ſufficiat audire Miſſam Græcam vel excommunicati. 13. An debeat audiri in Parochia, quid de Oratorio Epifcopi, Regularium, 14. Sæcularium, an in eo audire obligetur, qui alibi non poteſt, vel conducere Sacerdotem pro ſtipendio. 15. An ſatisfaciat, qui audit in caſtris, in mari, 16. In Sacriſtia, in ambitu, è domo vicina, tecto, fenestra. 17. An excuſentur infirmi, & quid in dubio, an exiſtentes in locis in-

fide-



*fidelium, an pater vel superior possit subditum includere cum neglectu Missæ.*

18. *Qualiter excuset impotentia moralis.*  
 19. *Spes lucri, excommunicatio.* 20. *Charitas, consuetudo.* 21. *An impediti teneantur ad alium Dei cultum; an quis possit exire è loco ubi est festum, vel ponere impedimentum Missæ.* 22. *An & que opera prohibeantur die festo.* 23. *Qui actus forenses.* 24. *Qualiter mercatus.* 25. *An uxor vel famuli iussi laborare teneantur obedire.* 26. *Quæ hic sit materia gravis & levis: quid si quis intendat singulis festis laborare per duas horas.* 27. *An liceat laborem imponere heretico, amenti, infideli.* 28. *Quid si herus sex famulis mandet, ut singuli laborent per horam.* 29. *Qualiter à feriis excuset dispensatio.* 30. *Necessitas.* 31. *Charitas.* 32. *Consuetudo.* Pro resolutione

QUÆR. I. An, quando, & à quibus Missa sit audienda?

R. I. Certum est, dari præceptum audiendi Missam, *c. si quis, c. omnes fideles, c. Missas de consec. dist. 1.* Obligat sub mortali, quia est de re gravi.

R. II. Hoc præceptum obligat omni die Dominico, & festo; dies autem festus non potest institui à Principe sæculari, neque ab Episcopo, nisi cum consensu Cleri, & populi, *c. conquestus ult. de feriis*, idque tantum festum unicum proprium diœcesis, v.g. festum patroni tutelaris, ad quod servandum etiam tenentur religiosi exempti, *Trid. sess. 25. de Regul.* Die Jovis, Veneris, & Sabbatho sancto, in festo S. Marci, festo animarum, aut Coloniz in festo Theophoriz, & in die cinerum non est obligatio ad

Missam, *La Croix l. 3. p. 1. n. 620.* Merito monet Gobat in *exp. t. 5. n. 12.* hac ætate, ubi invaluit multitudo festorum, non sine ingenti mæchanicorum incommodo, potius cogitandum esse de modo festa abrogandi, quàm nova instituendi: die Nativitatis Domini non est obligatio nisi ad unicam Missam; in dubio an sit festum, est obligatio inquirendi, si adhibitâ mediocri diligentia maneat dubium, non est obligatio ad Missam, quia libertas est in possessione.

R. III. Hoc præceptum obligat omnes fideles ratione utentes, ut claret ex juribus cit. Unde 1. Obligantur pueri, postquam adepti sunt plenum rationis usum ad peccandum mortaliter; tunc enim apti sunt apprehendere obligationem legis, quod plerumque contingit circa annum septimum, in aliquibus citius, in aliis ferius, ideoque ad Missam maturè assuefaciendi sunt. 2. Sacerdos, si non possit vel non velit in die festo Missam audire, tenetur legere, & si sit in mortali peccato, confiteri; qui enim tenetur ad finem, tenetur ad medium ordinarium, quale est confessio mortalis, *Steph. c. 5. d. 4. n. 95.* Si verò non habeat copiam Confessarii, debet Missam omittere, quia eam legere non potest sine violatione præcepti divini de præmittenda confessione, nisi fortè omitti non possit sine scandalo vel gravi infamia. 3. Surdus, cæcus simul & mutus non obligatur, quia nullo sensu Missam percipere potest, idem dicit *Castropalao p. 16. n. 4.* de surdo simul & mu-



to, secus si surdus tantum sit vel cæcus, vel surdus simul & mutus, non autem cæcus, quia talis potest percipere quæ fiunt. 4. An obligentur peregrini, dixi *Cas. 6. n. 7.*

3. QUÆR. II. Qualis præsentia, intentio & attentio ad Missam requiratur?

ꝛ. I. Non sufficit præsentia merè corporalis & physica, sed requiritur humana & religiosa, quâ quis adfit non ut brutum, vel ut res inanimata, sed ut homo ratione præditus cum attentione ad mysterium quod peragitur, & cum intentione colendi Deum; Unde

ꝛ. II. Requiritur aliquam intentionem vel *internam*, quâ quis actu advertat & animum applicet ad ea, quæ in Altari geruntur; vel ad minus *externam*, consistentem in hoc, quod non ponat aliquam actionem externam cum attentione interna incompossibilem, ut latius explicavi *Cas. 73. n. 2.* ubi dixi probabilius requiri attentionem internam, etsi probabiliter etiam sufficiat sola externa, *Less. Henric. Laym. Tamb. Lugo d. 22. f. 2. n. 27.*

ꝛ. III. Requiritur intentio per Missam colendi Deum, *Suar. Sporer l. c. La Croix n. 631.* quia Ecclesia per Missam præcipit Dei cultum; sufficit tamen intentio implicita, qua quis vult interesse Missæ tanquam rei sacræ, vel vult facere quod alii Christiani, quod præcipit Ecclesia, &c. Imò talis intentio semper præsumitur, nisi quis sciat se habuisse contrariam. Ex dictis

*Deducas* seqq. 1. Satisfacit, qui 4  
audit Missam ex consuetudine, vel ex devotione, non recordatus diei festi, nec tenetur audire aliam; quod verum est, etiamsi noluerit per illam Missam satisfacere præcepto, sed adhuc audire aliam, *Pasq. n. 131.* quia jam posuit rem præceptam, nec requiritur animus satisfaciendi, ut dixi *Cas. 6. n. 19.* 2. Si præter intentionem audiendi Missam adfit intentio prava, v. g. furandi, videndi amantiam, adhuc satisfit præcepto, quia intentio prava non excludit intentionem debitam, & talis assistit moraliter, attendit enim ad Missam, & eam vult audire ut rem sacram, & actus quoad substantiam est bonus, etsi voluntas conjuncta sit mala. 3. Non satisfacit, qui solum interest ex curiositate, ut irrideat, ut loquatur amico, ut comitetur dominum, ut honoret pompam funebrem, &c. quia non adest ex intentione colendi Deum, seu audiendi Missam. 4. Ebrius, dormiens, in ecstasi raptus, non audit Missam, quia ebrietas, somnus, ecstasis tollunt humanam & moralem assistentiam; quod etiam verum est de distractione ita intensa, ut hominem reddat quasi abreptum & nullo modo attendentem, sive distractio sit voluntaria, sive involuntaria, *Pasq. Coning, La Croix n. 659.* quia de tali distractione idem est quod de somno; si tamen distractio, ut plerumque contingit, non impediat omnimodam attentionem, satisfit præcepto, etiamsi sit voluntaria. 5. Si existas in Ecclesia animo audiendi Missam quam-



quamenuque primò inchoandam, si legatur in aliquo Altari, & primùm advertas ad signum campanulæ ad *Sanctus*, putat *Gobat* te hanc partem audivisse; sed verius est oppositum, quia & hic videtur defuisse præsentia moralis sicut in casu priore. 6. Non satisfaciunt, qui per notabilem Missæ partem de rebus seriis colloquantur, disputant, picturas contemplantur, libros profanos vel gazettas legunt, scribunt, pingunt, &c. quia hi vel non assistunt religiosè, vel exercent actionem externam cum attentione interna incompatibilem; idem videtur dicendum de eo, qui per magnam partem Missæ confitetur, quia confessio non videtur compatibilis cum attentione interna ad Missam; aliud est de audiente confessionem, qui facilius attendere potest. Dixi, qui per notabilem, id est, mediam vel tertiam partem Missæ talia exercent; nam si illa fiant interruptim, & non tollant attentionem internam, quamvis illam minuant, erunt tantùm veniale; imò probabile est contentem sub Missa satisfacere, quia religiosè assistit, & vult per Missam Deum colere, *Castropalao n. 4. Gobat n. 258.* Quod servare potest pro scrupulosis & servis, quibus alio tempore confiteri sæpè non permittitur. 7. Satisfacit, qui sub Missa legit Horas Canonicas, librum spiritualem, exsolvit pœnitentiam, audit concionem, communicat, præparat se ad Communionem vel confessionem; item Musici, Chelista, Organedi, modò simul attendant ad illud quod in ara agitur;

idem est de iis qui Sacrificio inserviunt, etsi interim candelas per Ecclesiam accendant, trahant campanam, currant ad Sacristiam pro apportandis necessariis; ratio est, quia hi omnes assistunt religiosè, & non intercurrit ullus actus cum attentione interna incompossibilis.

QUÆR. III. An Missa integrè audienda?

R. Affirm. Adè ut omnium consensu peccet mortaliter, qui omittit partem notabilem, secùs venialiter. Unde

Deduces seqq. 1. Peccat solùm leviter, qui negligit Evangelium usque ad Epistolam inclusivè, vel illam partem quæ sequitur Communionem, quia talis pars censetur exigua; secùs si negligatur initium cum Evangelio inclusivè, quia communiter reputatur pars notabilis, quamvis & hoc durum videatur, *Suar. Nav. Dian. Laym. c. 3. n. 3. Gobat n. 135.* modò per severetur usque ad ultimum Evangelium, per quod probabiliter videtur compensari primum neglectum; multi tamen peccant mortaliter, quamvis per accidens satis maturè veniant, eò quòd Missa solito seriùs cæpta fuerit, quia voluntariè se exposuerunt periculo notabilem partem negligendi; spectat autem ad patrem-familias curare, ut domestici ad Missam (idem est de concione & catechesi) maturè accurrant. 2. Qui exit tempore consecrationis, non satisfacit, quia Sacrificio non fuit præsens, cujus substantia seu essentia consistit in consecratione; etiam pec-



cat mortaliter, qui negligit oblationem & sumptionem, secus si tantum unam ex his duabus, quia quamvis pertineant ad integritatem, tamen una sola, etsi sit pars notabilis respectu sacrificantis, non tamen est respectu audientis, & mortale astrui non debet sine ratione convincente.

10. 3. Qui venit sub Canone ante consecrationem, juxta *f. Sanch.* non tenetur reliquam partem audire, quia voluntarie serò veniens jam peccavit mortaliter, & per reliquam partem non videtur satisfacere; at rectius oppositum tenent *Lugo, Dian. p. 3. t. 6. R. 69.* quia tunc pars principalis & primario per præceptum intenta, adhuc audiri potest, ergo ad hoc est obligatio; e contra qui venit post consecrationem, non obligatur ad assistendum parti reliquæ, quia non potest satisfacere quoad partem substantialem.
11. 4. Inn. XI. damnavit hanc *53. Prop. Satisfacit præcepto Ecclesie de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.* Ratio damnationis est, quod Missa sit aliquid successive, hinc ejus partes simul audiri nequeunt; an autem adhuc audiri possint sub diversis celebrantibus per partes successivas, ita ut unam audias à consecratione ad finem, & aliam ab initio usque ad consecrationem, est incertum, & de hoc non loquitur Propositio damnata, & olim docuerunt plerique cum *Nav. Tolet. Bonac. Coning, Laym.* & adhuc esse probabile asserunt *Carden. in 2. Cris. diff. 32. La Croix n. 611.* Nihilominus tenen-

dum est, Missam non posse audiri per partes sub diversis celebrantibus, quia istæ partes diversorum celebrantium non possunt extra casum extremæ necessitatis, quâ Sacerdos post consecrationem deficeret, uniri in unum adæquatam Sacrificium Missæ, ergo illas audiens non audit unam & adæquatam Missam, quod tamen ab Ecclesia præcipitur.

QUÆR. IV. Qualis Missa & quo loco audienda?

R. I. Præcepto satisficit audiendo Missam quamcunque, sive privatam, sive solemnem, sive Romano, sive Græco ritu aut idiomate celebratam, quia quoad substantiam est eadem: si audiatur Missa Sacerdotis excommunicati non tolerati, satisficit quidem præcepto, quia ponitur materia præcepta, seu auditur vera Missa; peccatur tamen graviter contra præceptum Ecclesie, de non communicando cum non tolerato, ideoque si die festo alia Missa audiri nequeat, potius omittenda est, *c. vestra de cohabit. Cleric. c. præter dist. 32.* Dices, ut satisfiat Legi, debet poni materia præcepta, atque hic non ponitur materia præcepta, sed prohibita, ergo. R. *Dist.* ponitur materia prohibita secundum se N. quoad circumstantiam legentis C.

R. II. Quoad locum tenenda sunt seqq. 1. Non est obligatio audiendi Missam in Parochia, sed in qualibet Ecclesia vel Sacello publico satisfieri potest, teste consuetudine, *Suar. d. 88. f. 2. Barb. alleg. 24. n. 17.* 2. Satisficit præcepto per Missam auditam in Oratorio



14. rio erecto in palatio Episcopi, aut in Conventu Regularium, vel in loco ad Divinum cultum perpetuò destinato, aut à Missionariis privilegiatis constituto. V. *Cas. prac. n. 17.* 3. Difficultas est de Oratoriis privatis seu ex privilegio erectis in domo vel arce privati hominis, in quibus satisfieri præcepto Missæ non tantum à domesticis, pro quibus privilegium concessum est, sed etiam à quovis extraneo, docuerunt plurimi, etiamsi concessio habeat clausulam: *Volumus autem, ut alii, qui non sunt de familia, non censeantur liberi ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia.* Rationem dant, quia hæc verba adduntur ex stilo antiquo Curia, quando adhuc erat obligatio audiendi Missam in parochia, hac obligatione jam cessante clausula nihil operatur, & illa verba alio sensu non sunt recepta; at tenendum est non satisfieri nisi ab iis, qui sunt de familia, tum quia sic habet tenor concessionis, tum maximè quia id 15. Decemb. 1703. novissimè declaravit Clem. XI. tum denique quia lex est certa, & interpretatio opposita incerta, nisi certò constaret de consuetudine post constitutionem Clem. legitimè introducta & continuata. V. *Cas. prac. a. n. 20.* ubi etiam dixi, quinam censeantur esse de familia privilegiati. At tenerne privilegiatus in suo Oratorio die festo audire Missam, si alibi non possit. Negant *Suar. s. 6. Sporer l. c.* quia nemo tenetur uti suo privilegio: sed dico teneri, quia facili medio potest implere præceptum, ergo ad hoc tene-

tur; similiter valde mihi probabile est, (etsi oppositum doceatur communiùs, & sit in praxi tutum) quòd talis teneatur conducere Sacerdotem pro stipendio, si die festo aliter Missam habere non possit, quia nec hoc medium est valdè difficile saltem respectu divitis, etsi non sit ita ordinarium; & si foemina illustri teneatur modico stipendio conducere pedissequam, si eam non deceat ire solam, ut plerique fatentur, cur non teneatur dives modico stipendio conducere Sacerdotem? 4. In alio quocunque loco profano quilibet Missam licitè audiendo satisfacit, v. g. in castris, in littore, quando legitur pro navigantibus, etsi non sit miles, vel de comitatu navigantium, *Pelliz. Marchant. Barb. Burghab. cent. 3. cas. 60.* quia verè auditur Missa, & restrictio, quæ est de Oratoriis privatis, nullibi extenditur ad hæc loca, neque extat lex audiendi in Ecclesia vel Sacello publico, ut asserunt aliqui, sed non probant. 5. Satisfaciunt & verè Missam audiunt, qui stant in angulo, Sacristia, vel camera Ecclesiæ annexa, in ambitu, aut qui præ multitudine hominum Ecclesiam intrare non possunt, & generaliter omnes, qui aliis ita sunt conjuncti, ut censeantur esse de cætu audientium, quamvis Sacerdotem nec audiant, nec videant, quod etiam extenditur ad sedentes in tectis, in fenestris sive Ecclesiæ, sive domus vicinæ, modò ob vicinitatem vel multitudinem cum reliquis faciant unum cætum.

16. QUÆR. V. Quæ sint causæ ab auditione Missæ excusantes? 17.

*D. SINE*



*Et. Sunt tres: Impotentia, charitas, consuetudo. Ratione Impotentia excusantur?* 1. Qui ex gravi morbo decumbunt, ita ut ad alia negotia magni momenti exire non possint; si quis dubitet, an sine gravi nocumento sanitatis egredi queat, standum est iudicio Medici vel alterius periti; si talis non possit consuli, nec dubium resolvi, juxta plures petenda est dispensatio, vel audienda Missa, quia Lex est certa, excusatio verò dubia; sed contra est, nam quamvis ipsum nocumentum, quod timetur, sit incertum, periculum tamen nocumenti, in quo consistit ratio excusans, est certum, V. dicta *Cas. 72. n. 18.* 2. Excusantur, qui in carcere, mari vel tali loco versantur, ubi nulla est occasio Sacrum audiendi; excipe illos, qui absque gravi & rationabili causa ierunt ad loca infidelium vel hæreticorum, in quibus Missam audire non possunt, secus si ierint ex justa causa, v. g. ad tractandas causas Reip. ad conservanda bona temporalia, ad acquirenda familiæ necessaria, quæ alibi obtineri non possunt, pro mercatura justa & rationabili Reip. necessaria vel utili; excusari etiam possunt juvenes opifices, ex consuetudine peregrinandi, maxime si apud Catholicos non possint æquè benè proficere, modò non exponantur periculo perversionis, merito iis tunc inculcandum illud Christi: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* Matt. 16.

18. 3. Ob impotentiam moralem generaliter excusantur omnes, qui sine gravi

damno vel incommodo Missam audire non possunt, ut si via ob distantiam, pluviam, grandinem, nives, debilitatem corporis sit multum difficilis, aut etiam ob insidias hostium vel latronum periculosa. *Suar. Dian. Castropalao pun. ult. n. 4. Gobat n. 486.* docent, homines mediocriter valentes etiam abstrahendo ab aëris intemperie universaliter excusari, si ab Ecclesia distent ter mille passus, seu unam bonam horam vel quinque quadrantes, idque pro una alterave vice admittit *Reiffenst.* At pro homine robusto & vegeto id non admitto, nisi concurrat aliud incommodum auræ, tempestatis, nivis, viarum, &c. Item excusatur, qui audiendo Missam ducem vel comitem itineris valde utilem aut commodam navigandi occasionem amissurus esset, *Sporer. Tamb. §. 3. Burghab. cent. 3. cas. 1.* Si mulier ob auditionem Missæ timeat graves cum marito discordias, aut si necessè habet secum portare infantem inquietum, & alios in devotione turbantem, quem præstat cum matre manere domi, *Gobat tr. 5. n. 318.* Item si reus maneat domi, ne comprehendatur; si quis ob periculum furum, latronum, &c. domum periculosè deserat, aut deputatus sit ad custodiam domus vel pecorum; pudor quoque si gravis sit, ut si mulier honesta cum gravi dedecore sui status malè vestita sit, vel aliqua care-roquin bonæ existimationis ex delicto prægnans appareat. Ratio horum est, quòd pia Mater Ecclesia non censeatur suos cum tanta difficultate vel onere obligare velle; sola tamen spes lucri non

19.



non videtur causa sufficiens negligendi Missam, vel laborandi die festo, nisi lucrum foret extraordinarium, cujus occasio non facile recurreret, quod respectu pauperis posset esse unus vel duo ducati, quia amittere tale lucrum reputatur grave damnum, ad quod non videtur velle obligare Ecclesia. Excommunicatus excusatur, si per ipsum non stet, quò minus absolvatur, tenetur tamen

20.

*Cas. 6. n. 18.* 4. Ob *Charitatem* excusatur, qui assistit graviter infirmo, qui sine periculo vel gravi incommodo solus relinqui non potest, item foemina, quæ ad vitandum peccatum alienum aut viri zelotypiam domi se continet, quia præceptum charitatis tunc prævalet præcepto Ecclesiæ. 5. *Consuetudo* aliquibus locis excusat viduas tempore luctus, puerperas usque dum à Sacerdote benedicantur, puellas nubile tempore sponsaliorum, aut quando proclamantur ad matrimonium; neque statim damnandæ sunt mortales, si etiam seclusà consuetudine emaneant, ne rideantur, verecundentur, modò in alio templo

21.

Missam audire non possint. 6. *March. Sporer. n. 30.* docent, omnes à Missa impeditos, etsi non teneantur ad Missam, teneri tamen ex præcepto naturali diebus festivis Deum speciali cultu in - vel externo colere; & quamvis plerique id non admittant, cum non satis constet de tali præcepto, meritò tamen id impeditis est seridè inculcandum. An liceat exire è loco, ubi est festum, ad locum,

*R. D. Jansen Pars II.*

ubi non est festum; item an liceat ponere impedimentum Missæ, dixi *Cas. 6. a. n. 12.*

QUÆR. VI. Quid circa obligationem abstinendi à servilibus?

R. Hoc præcepto obligantur omnes Christiani diebus Dominicis & festis, *c. omnes de feriis*, juxta explicationes seqq. 1. Opus servile dicitur, quod præcipuè commoditatibus corporis inservit, seu quod magis usu corporis quàm intellectus perficitur, solètque exerceri à servis & famulis, ut opera rustica & mechanica, v.g. arare, serere, metere, vineta colere, triturrare, sepem ponere, in sylvis scirpare, ferrum cudere, sutrinam exercere, na-ves, currus vel equos onustos ducere, &c. 2. Opera liberalia non cadunt sub hoc præcepto, sunt autem ea, quæ ad excolendum vel oblectandum animum præcipuè assumuntur & digna homine libero reputantur, velut scribere, transcribere, organum pulsare, docere, canere, concionari, pingere, notas musicas formare, delineare opus faciendum, & juxta plures litteras in typographiis collocare, distillare, & similia, quæ nullam vel exiguam corporis agitationem requirunt; lineas seridè & per se ducere pro notis musicis non permittunt *Tamb. & La Croix*, sed Germani meritò non anguntur istis scrupulis Italicis, *Sporer n. 44.* Nec interest, an hæc lucri an recreationis causâ fiant; nam ratio lucri non mutat substantiam actûs, nec facit servilem; aliàs enim artium Professores, advocati, medici, peccarent, si in con-

22.

M scri-



- scribendis lectionibus, probationibus, consiliis, die festo se occuparent, quod est contra communem; at libros imprimere, colores terere, asseres tingere, pannos colorare, horologia conficere, auro celare, in ligno, cera vel gypso sculperere, portare lecticam, &c. communiter reputantur illiberalia & illicita, nisi excuset consuetudo, quia fiunt cum notabili corporis agitatione; quoad opera, de quibus non satis constat, an sint vel non sint liberalia & permissa, attendenda est consuetudo, quæ optimè legem interpretatur. 3. In die festo etiam prohibentur actus forenses, ut citare reum, producere testes, exigere iuramentum iudiciale, ferre aut exequi sententiam, quæ si feratur, est irrita, nisi *necessitas urgeat*, vel *pietas aliud suadeat*, c. ult. de feriis; unde excipiuntur causæ pauperum, viduarum, & personarum miserabilium, quæ sine dilatione vel majoribus expensis diebus profanis tractari non possunt, *Pirrh. Engel. Reiffenst. l. 2. decret. tit. 9.* Etiam licitum est die festo excommunicare, dispensare, iudicem privatim informare, advocatum consulere, testamentum condere, filium adoptare, litem sine strepitu forensi componere, beneficia conferre, permutare, resignare, eligere, &c. quia hæc non requirunt figuram iudicalem, neque sunt actus jurisdictionis contentiosæ. 4. Prohibetur mercatus seu nundinatio, c. 1. de feriis. Nunc tamen consuetudo permittit non tantum mercatum privatum, quo clausâ officinâ die festo quævis licitè ven-
- duntur, emuntur, servi conducuntur, contractus etiam coram Notario privatim ineuntur; sed etiam quandoque nundinas publicas, v. g. in festo dedicationis, vel Patroni; quod tamen meritò ita moderandum est, ut negotiationes ante rem Divinam peractam non instituuntur, *Engel. n. 11. 5.* Famuli, & à potiori proles vel uxor, si jubeantur ab herò, patre vel marito die festo laborare, præsertim ad exiguum tempus, si timeant verbera, rixas, vel aliud incommodum, nec possint sine damno servitium deferere, licitè obediunt, nisi jubeantur id facere in contemptum religionis. *De cætero* vacare operi servili per unam vel etiam duas horas, communiter reputatur materia levis, secus per tres vel quatuor horas, *Sanct. Dian. Tamb. l. c. Sporèr n. 38.* Ratio est, quod una alterave hora non videatur esse pars notabilis totius diei, qualis tamen saltem ad finem præcepti videtur esse tempus trium vel quatuor horarum. Si singulis festis per integrum annum intendas laborare, aut etiam labores per unam vel duas horas, non peccas mortaliter, quia illi labores non uniuntur, nec constituunt unam notabilem profanationem unius diei festi. 6. Hoc præcepto obligantur hæretici, quia sunt subditi Ecclesiæ, ideo non licet eis die festo imponere opera servilia; plures tamen docent ea licitè imponi perpetuò amentibus, item catechumenis & infidelibus, quia hi ex defectu Baptismi, illi ex perpetuo defectu rationis non subsunt præceptis Ec-



clesiæ, idque pro certo habet *Illius*  
*z. s. à n. 166.* sed immeritò; nam im-  
 ponens amenti vel infideli laborem  
 censetur ipse laborare per infidelem  
 tanquam per instrumentum, sicut si  
 laboraret per suum jumentum. *Dices*

1. Qui puero ante usum rationis  
 mandat comedere carnes, non audire  
 Missam, non peccat, quia puer iste  
 non est subjectus legi Ecclesiæ, atque  
 etiam infidelis non est huic legi sub-  
 jectus: ergo. 2. Qui jubet dispensa-  
 tum laborare, non peccat: ergo nec  
 peccat, qui jubet laborare non sub-  
 jectum legi. 3. Qui die festo facit  
 à vento vel equis circummagi molam,  
 non peccat: ergo nec hic. *z. ad 1.*

*N. C.* Mandans non censetur per  
 alium comedere, sicut censetur per  
 alium laborare tanquam per instru-  
 mentum. *Ad 2.* Pro dispensato est  
 positiva concessio Ecclesiæ, quæ facit  
 ejus laborem non esse inhonorati-  
 vum diei festi, qualis concessio non  
 est pro hero, ut per servum infidelem  
 laborare possit. *Ad 3. omf. Ant. N. C.*  
 Ventus, equi, & alia irrationabilia  
 non sunt de se apta sanctificare vel  
 profanare diem festum; si enim ven-  
 tus die festo excutiat ex arboribus  
 plurima ligna, nemo dicet profanari  
 festum, secus si id faciat homo. 7. Si  
 herus sex famulis mandat, ut singuli  
 unâ horâ laborent, si mandat, ut  
 laborent simul, non videtur peccare  
 mortaliter; secus si jubeat laborare  
 successivè per sex horas, quia tunc est  
 causa, quod notabilis pars diei pro-  
 fanetur; & sicut indubiè peccaret  
 mortaliter, si in propria persona sex

horis laboraret, sic & si laboret per  
 alios tanquam per instrumenta. *Dices:*  
 Qui sex hominibus persuadet die  
 jejunii lege quid comedere, peccat  
 solum venialiter, ergo & mandans  
 exigui temporis laborem. *Conf.* Ipsi  
 famuli tantum venialiter peccant la-  
 borando, ergo & herus mandando.  
*z. N. C.* Herus imponens laborem  
 censetur ipse laborare per famulos  
 ut instrumenta, suadens autem come-  
 dere per alios non comedit, & per  
 omnes comestiones simul sumptas  
 non fit ulla gravis transgressio præ-  
 cepti, quia nullus plenè secundò re-  
 ficitur; labor autem successivè per sex  
 horas est notabilis profanatio diei  
 festi, cum sex horæ sint magna pars  
 diei, & totus iste labor attribuitur  
 mandanti. Sicut si octo servis man-  
 daret, ut singuli auferrent solidum,  
 singuli peccarent solum venialiter,  
 ipse verò mortaliter, quia damnum  
 respectu mandantis unitur & ei to-  
 tum imputatur, unde patet ad *Confirm.*

QUÆR. VII. Quæ sint causæ  
 excusantes à feriis?

z. Sunt quatuor: Dispensatio, ne-  
 cessitas, charitas, consuetudo.

1. *Dispensare* in feriis spectat ad  
 Papam pro omnibus, ad Episcopum  
 pro sua diocesi, ad Parochum pro  
 sua Parochia, Superior pro suis Re-  
 ligiosis, non tamen pro famulis sæ-  
 cularibus, quia hi non sunt sub eorum  
 jurisdictione spiritali, nisi habeant  
 jus Parochiæ. Si causa est manifesta,  
 non est opus petere dispensationem,  
 nisi ad cavendum scandalum, quod  
 oriretur, si publicè laboraretur.

M 2 2. Ne-



30. 2. *Necessitas excusat*, quando sine gravi damno vel incommodo, sive publico, sive privato, à labore abstineri non potest, c. licet de feriis, ut si reficiendi sint pontes, aggeres fluminum, imminente hoste reparandi muri, valla, &c. si paranda aliqua ad communem festivitatem populi, vel adventum Principis, quæ ad alium diem præveniri vel differri non possunt, si agricolæ ob pluviam continuam timeant grave damnum, nisi messes die festo colligant, fœnum fecerint, &c. item aurigæ, nautæ, vitriarii, salinarii, quorum opus semel ceptum absque damno interrumpi non potest; Medici, chyrurgi, farmacopæi laborantes pro infirmis, fabri qui reficiunt rhedas, currus, vel calceant equos itinerantium, barbitonsores si tondeant tantum unum vel alterum, aut eos, qui aliis diebus accedere non possunt, ut rustici, viatores, opifices, &c. factores post mediam noctem laborantes, si vestes lugubres aliasque necessarias aliis diebus perficere non potuerint, *Dian. p. 2. t. 15. R. 34. Laym. c. 4. n. 2.* famuli & famulæ reficientes vestes, si aliis diebus non vacet; an verò excuset solum periculum amittendi lucrum, dixi *sup. n. 19.*

31. 3. *Charitas excusat*, si extremè vel graviter indigenti aliter quàm per tuum laborem in die festo exercitum succurrere non possis; sicut enim tunc ipse egenus laborare posset, sic & tu pro ipso; item licitum est die festo fodere sepulchrum pro tunc sepeliendo, ornare Altaria, erigere

sepulchrum vel præsepe Christi, aras aut artificiosas molas ad exponendum *Venerabile*; si tamen priori die hæc facillè fieri potuissent, est veniale ea ad diem festum differre, *Dian. Sporer. n. 52. Illf. n. 165.* qui etiam permittunt laborem ad solum orium vitandum; si enim liceat ad vitandum damnum temporale, cur non ad damnum spirituale, quale est orium? Sed meritò contradicunt *Stephan. La Croix. n. 586.* quia hoc prætextu omnes opifices laborare possent, & orium per alias occupationes spirituales vel liberales vitari potest.

4. *Ex Consuetudine excusantur* famuli saltem post Sacra sub vesperum apparantes instrumenta vel materiam sequentibus diebus laborandam, *March. Laym. l. c.* in aliquibus locis per consuetudinem licet molere, non tamen advehere frumenta, vel farinam avehere; item tum ex consuetudine, tum ex necessitate licent ea opera, quæ commodè non possunt vel non solent in alium diem differri aut anticipari, ut parare cibos eo die comedi solitos, in furno tortas & placentas coquere, mundare domos, vestimenta detergere, corpori aptare, etiam si aliquid assuendum sit, idque approbat *Conc. Aurelian. III. sub Virgilio Papa*; opera verò alia, etsi ad usum quotidianum sint necessaria, si commodè differri vel præveniri possint, consuetudo die festo non permittit, ut vestes vel calceos consuere, farcimina facere, panes pinsere, braxare, aquas comportare, &c. Denique ex consuetudine licent actio-



actiones, quæ nec propriè liberales sunt, nec serviles, sed communes tam liberis quàm servis, ut currere, ludere, digladiari, saltare, navi vel curru vehi, pedibus vel equo itine-

rari, venari, piscari, &c. modò hæc ultima fiant sine gravi labore in comportandis vel trahendis retibus aliisque instrumentis, & absit scandalum.



## De Sacramento Pœnitentiæ.

## CASUS XCVI.

De ejus necessitate, materia proxima, dolore & proposito.

**J**abinus in examine Synodali interrogatus: 1. Quid sit virtus pœnitentiæ, quodnam ejus objectum materiale formale? 2. Quid Sacramentum? 3. An virtus pœnitentiæ sit necessaria necessitate mediæ? 4. An præcepti, & quando. 5. An & quando Sacramentum. 6. Quid sit detestatio, dolor, propositum, & qualiter requirantur ad Sacramentum. 7. Quid sit contritio perfecta, an appreciativè summa. 8. An statim justificet, an requirat certam intentionem, vel durationem. 9. Quid attritio, an sufficiat cognita, vel falso existimata. 10. An ex solo metu gehennæ sit honesta. 11. Supernaturalis. 12. Efficax. 13. Quid de dolore ex metu pœnarum temporalium. 14. An dolor debeat esse universalis. 15. An etiam respectu venialium. 16. An sensibilis. 17. An elicitus ex intentione confitendi. 18. An precedere absolutionem, an confessionem. 19. An perfervere moraliter. 20. Qualiter revocetur. 21. An idem dolor sufficiat pro pluribus confessionibus. 22. An

repeti debeat confessio probabiliter invalida. Pro Resol.

QUÆR. I. Quid & quoruplex sit pœnitentiæ?

R. I. Pœnitentiæ dicta est à pœna, quasi pœna tenentia, quia non solum includit resipiscentiam seu propositum non peccandi deinceps, ut volunt hæretici, sed & dolorem animi seipsum affligentis ob malè commissâ vel omisâ; nam S. Script. & SS. Patres dum de pœnitentiâ loquuntur, semper doloris, afflictionis vel pœnæ mentionem faciunt. Job. ult. Idcirco meipsum reprehendo, & ago pœnitentiâ in favilla & cinere. Joël 2. Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejuniis & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, &c. Et clarissimè S. Aug. lib. 50. Homiliarum Homil. ult. Non sufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfaciatur DEO per pœnitentiæ dolorem. per humilitatis gemitum, per contriti cordis Sacrificium, &c.